G ~~G b 13~~

G, b, 54

G
b : 54.

Cl. h. 4.

BATAVIA,

SIVE

DE ANTIQVO VEROQVE EIVS INSVLÆ QVAM RHENVS in HOLLANDIA facit ſitu, deſcriptione & laudibus; aduerſus GERARDVM NOVIOMAGVM,

LIBRI DVO;

Auctore CORN. AVRELIO,
DJ Brqſchſ P.qſqrqdaml olim præceptore.

Item alia quæ proxima pagella indicabit.

BONAVENTVRÆ VVLCANII operâ, nunc primum in lucem edita.



ANTVERPIÆ,
Apud Chriſtophorum Plantinum.
cIↃ. IↃ. LXXXVI.

QVÆ HOC OPVSCVLO PRÆTEREA CONTINENTVR.

Aloisii Marliani *De Bataviæ laudibus, ad Hieronymum Buſlidianum Epiſtola.* Pag. 70
Cornelii Avrelii *Epiſtolæ aliquot.* pag. 79
Eivsdem *Diadema Imperatorium, ſive De officio boni Imperatoris.* pag. 99
Ex Gerardi Noviomagi *Geldenhaurij Batavia.* pag. 125

Ampliſs. Prudentiſſimisq. viris

PRÆTORI, CONSVLIBVS, SENATVIQVE

Ciuitatis Leydenſis,

BON. VVLCANIVS S. D.

MONENT me tacitè, viri Ampliſſimi, Encænia vrbis veſtræ, cum quibus ſextum iam ſuauiſſimi huius, quo apud vos fruor, honeſtiſſimique otij literarij annum ingredior, vt, quod probi hoſpites ſolent, publicum aliquod grati erga vos animi monimentum edam etiam ego. Præiuerunt enim mihi ſplendidam hanc gratitudinis facem,

 duo

duo Academiæ huius lumina; illuſtriora notioraque quàm vt me nomenclatore indigeant. quorum quidem luci vt me longè imparem libens profiteor; ita ſtudio obſeruantiaque veſtri nequaquam concedo. quibus declarandis non tam mihi voluntas hactenus defuit, quàm facultas. atque vtinam ne nunc quidem deeſſet. Interea verò dum ſuppetat, quod non diffido fore aliquando: accipite exiguum hoc à me munuſculum literarium, veluti teſtem, imò obſidem amoris ſtudiique erga vos mei: fœtum hunc inquam, alienum quidem, ſed cui ego vitam ſi non dedi vt parens, certè reddidi vt vindex. Eſt is, Cornelij Aurelij liber,

ber, Batauiæ veteris ſitum geographicè planè deſcribens. Gratus verò vobis, non dubito, & auctor futurus pariter, & argumentum. Nam & ille, vt nihil aliud de eius laudibus hoc loco dicam, vel eo certè nomine eſt laudatiſſimus, quod Eraſmum Roterodamum, illuſtre illud Hollandiæ ſidus, diſcipulum habuerit. argumento, nihil conuenientius vobis, nihil magis ex Hollandiæ dignitate. Cùm enim ſumma ſemper fuerit apud veteres illos Romanos Orbis dominos Batauici nominis gloria, adeò vt innumeris propè victoriis eorum ope ac virtute partis, BATAVOS non ſolùm SOCIOS & AMICOS IMPERII, ſed veriſ-

ſimo elogio IMPERII SANITATEM, SVSTENTACVLVM, ROBVR & COLVMEN appellarint: cumque adeò formidabile olim toto orbe Batauorum nomen fuerit; vt grande viderentur momentum ſociis, vel, prout inclinaſſent, aduerſis: extitit patrum noſtrorum memoria Sicamber quidam qui omnem hanc Batauicæ fortitudinis laudem (nimio gentis ſuæ ſtudio præpeditus) in Betuanos ſuos quoad potuit deriuauit. Cuius conatibus, quibus eò iam vſque progreſſus erat, vt doctis etiam nonnullis fidem, imò veriùs fucum faceret; meritò obuiam iuit Cornelius Aurelius, qui ereptam per fraudem Batauis genuinam ſuam reſtituit lau-

laudem; & geminum Rheni alueum, & frequentes in eius ripa nobilium arces, oſtia eiuſdem, ac propugnacula, eorumque fata; totam denique Batauiæ inſulam ita accuratè à fronte & tergo lateribusque, ex Iulio Cæſare, Cor. Tacito, aliisq. veterũ monimentis circunſcripſit, Hollandicoque ſepto incluſit, vt de ea ambigere nemo deinceps niſi malignè, ἢ μάτην, vt Æſchyli verbis vtar, φλῦσαι θέλων, poſſit. Hic itaque poſthumus Cor. Aurelij fœtus, non quidẽ recens natus, ſed quodammodo renatus, hoc eſt, Batauia rediuiua, quibus potiùs veluti tutoribus ac patronis debeatur, quàm vobis, qui Batauiæ florem Leidas ſanctiſſimè pru- *Leidæ pluraliter olim dictæ, vt Athenæ.*

 den-

dentiſſimè, fortiſſimeque regitis? quique præclarum priſcæ illius fortitudinis exemplum ac veluti ſignum Batauiæ erexiſtis, cùm à totius Hollandiæ iuguló immaniſſimi militis enſes eximia veſtra fide, conſtantia, tolerantiaque auertiſtis? Agnoſcetis verò in hoc etiam ſcripto magna cum voluptate, multa illuſtria veterum Romanorum monimenta ex agro veſtro eruta; è quibus, quanti maiorum veſtrorum virtutem Romani fecerint, liquidò conſtabit. Agnoſcetis Scholam Latinã à Romanis prope Leydas ad Rhenum in municipio veſtro quod Roomburg, hoc eſt Arx Romanorum dicitur, conditam; vt iuuentutis Batauicæ, quam

acri

acri ingenio, aptiſſimaque addiſcendis aliis idiomatibus linguã eſſe norant, ſua etiam, hoc eſt Romana lingua inſtructæ operâ, facilius ſibi alias nationes eius ignaras conciliarent; & hac beneficij ſpecie ipſos iuuenum parentes ſibi arctius deuincirent, atque adeò in officio retinerent; quos ſi fortaſſis deſciſcere contingeret, de Germanis ac Gallis in fide retinendis deſperabant. Adeò omnis Romanorum ſpes ac fiducia ſolis Batauis nitebatur. Hæc inquam; aliaque multa & quidem æterna Batauicæ gentis decora aureo Cor. Aurelij penicillo deſcripta ſumma cum animi voluptate in hoc libello intuebimini. quæ modò libenti-

 bus,

bus, quod non dubito, vobis; parum moror an liuentibus æmulis in conſpectum ac veluti theatrum totius Orbis proferantur. Valete viri Ampliſſimi, & Academiam hanc feliciſſimis auſpiciis non in municipio, ſed in vrbe veſtra, tametſi diſpari à Romanis conſilio, ab optimo prudentiſſimoque architecto conditam; vt ad eam ſcilicet tam exteri quàm Bataui ipſi non ad vnius alicuius linguæ, ſed ad omnium linguarum pariter ac ſcientiarum veluti mercatum confluerent, fouete; & quod facitis, amplificate. bellicæq. fortitudinis, qua vigetis, laudem, ſalutari literarum miſtura temperantes perſeuerate. Lugd. Bat. M. D. LXXXVI. XVIII. Maij.

DE

DE CORN. AVRELIO ET VARIIS EIVS SCRIPTIS.

CORNELIVS *Aurelius Hollandus, patria Goudanus, quod & cognomine ſuo adumbrauit, Canonicus Auguſtinianus in Hemdonck, eiuſdem, vt videtur, cum Eraſmo inſtituti, atque adeo eius præceptor fuit, quantum ex Epiſtola quadam Adelardi Amſterdami ad Aurelium Louanio Anno Domini* M. D. X V. *ſcripta, qua ipſi auctor eſt ſcribendi aduerſus Nouiomagum, qui Bataviam Hollandis præripere conabatur, ſatis conſtat. quam quidem Epiſtolam his verbis claudit :* Eraſmus Baſileæ agit. Miramur omnes quòd tui ſinceriſſimi ſemper amici & præceptoris nuſquam meminit. *Coætaneos habuit Gulielmum Hedanum & Reynerum Snoy, non ignobiles Hollandicarum rerum hiſtoricos. Ipſe Oratoriis poëticiſq. ſtudiis ita barbaro illo æuo claruit, vt Imperator Maximilianus ei nihil tale ambienti laurum Apollineam*

neam (vt ipſemet Epiſtola quadam ad Iohannem de Hemſtede Lieſveldiæ dominum teſtatur) per Oratorem ſuum vatemque clariſſimum Stephanum de Cracouia miſerit. Variam hiſtoriarum antiquitatisque cognitionem abundè duobus hiſce libellis, quos nunc publici iuris facimus, eſt teſtatus. quorum priorem inſcripſerat, Defenſionem gloriæ Batauinæ. *aduerſus eos ſcilicet qui Bataniam Hollandis præripiebant. altero, titulum fecerat,* Elucidarium variarum quæſtionum ſuper Batauina regione & differentia. *quos ego titulos breuitatis cauſa in hunc commutaui,* De ſitu & laudibus Batauiæ.

SCRIPSIT *verò etiam alia multa. quorum nonnulla hiſce libellis adiecta ſunt; nonnulla apud me extant; nonnulla, quæ à ſe ſcripta eſſe teſtatur, nondum in manus meas peruenerunt.*

Diadema Imperatorium, ſiue De officio boni Imperatoris, adiectum huic opuſculo.

Epiſtolæ aliquot ad viros Illuſtres. quarum nonnullæ nunc prodeunt.

De gloria & miſeria ſeptem artium libera-

beralium, vbi Theologiam facilè omnium principem ſtatuit.

Duo libri Orationum, diuerſos Nobilium & Eccleſiaſticorum ſtatus concernentes. quarum vſus eſſe poſſit in eorum receptione, conſalutatione, vel promotione.

Caroli Hiſpaniarum regis præconia, quibus titulus, Prognoſticon. carmine Elegiaco.

Gratiarum actio ad Henricum Comitem Naſſouium Caroli Hiſpaniarum Regis in Hollandia vicarium: ob victoriam aduerſus Gelros. ſcripta carmine Heroico, libris duobus.

Querimonia Pacis carmine Elegiaco.

Apocalypſis, ſiuè Narratio facetiſſima ſuper obitu Ludouici Regis Galliarum, & Maximiliani Imperatoris Romani; qui in vnum conſentientes, nepotes ſuos ſuper imperio contendentes felici fœdere pacificarunt, carmine Elegiaco.

De obſidione vrbis Schoonhouienſis per Sicambros, carmine Elegiaco.

De S. Cornelio ſummo Pontifice & martyre.

De S. Martino.

Dialogus Veſtæ & Neptuni ſuper inundatione, carmine Elegiaco.

BON.

BON. VVLCANIVS AD BATAVOS,

De hac Cor. Avrelii editione.

*M*AGNA *fuit quondam Battauæ gloria gentis,*
Roma triumphati dum caput orbis erat.
Scilicet huius ope VRBS, *& viribus*, INDVPERATRIX
Oppida ſubiecit regnáque multa ſibi,
IMPERII *hinc* SOCIOS *meritò* FRATRESQVE *vocauit,*
Haud tutam ſine eis ſe ſatis eſſe putans.
Priuarat ſed eos æterna hac laude Sicamber,
Vicinis faciens è Betuis Batauos.
Credita res multis. ita fluxæ munere ſuadæ
Fucum etiam doctis fecerat ingeniis.
Id ratus indignum patriis CORNELIVS *auſis,*
Quondam, ô flos Batauûm, doctor ERASME *tuus:*
Ille inquam quo ſe ter felix iactat alumno
GOVDA, *olim eximiis nobilis hiſtoricis;*
Hoſti congreſſus, non impar, vindice penna
Hollando aſſeruit Battauiam populo.
An dubitas? Cæſar, Tacitus monimentaq́ teſtes
Priſca, ſoli atque ſali proruta viſceribus.
Dicite iô Hollandi, veſtróque Aurelius ore
Perſonet; hinc vobis laus rediuiua venit.
Nanque ſitum moresq́ & fortia geſta Batauûm
Nullo delendum tempore ſcripſit opus.
At latuit, multosq́ vltra latuiſſet in annos
Cum tineis luctans nec meritâ carie;
Ni tandem Vindex Batauûm, haud ſine numine diuûm,
Vindice me lucem cerneret è tenebris.

AD

AD VIRVM DOCTISS. BON. VVLCANIVM,

Pro CORNELIO AVRELIO *luci ac vitæ reſtituto.*

RES geſtas Batauûm, priſcaque ab origine gentem
Complexus paucis magni Præceptor Eraſmi
Prodidit ingenuè, fruſtra mordente Sicambro.
At verò auctoris cineres, & ſcripta premebat
Vrna eadem: obſcuraque etiam-num in nocte iacêret
Hoc opus, adniſus multa niſi Dædalus arte
Eduxêt cæli in dîas Vulcanius oras.
Munere quo vitæ non tantùm redditus vnus
AVRELI genius, verùm tot flumina, & vrbes
Ingentes lucem adſpiciunt, & tela diei:
Heroumque adeò noſtratûm plenius acta
Iam legere, & ſeriem generis, monimentaq. rerum
(Exiguus quamquam terræ ſumus angulus) omnes
Noſſe valent populi, terrarum quà patet orbis.
Macte iſthoc ſtudio Vulcani, atque Herculea vi
Protrahe Muſarum porrò in lucem aurea dona,
Inuitis Superis quæ plurima detinet Orcus.
Multùm omnes Batauì tibi nos debere fatemur
Accepti tabulis memores hoc ſcribere munus,
Æternùm vt maneat Vulcânî nomen honosque.

FRANCO DVYCKIVS
Leydenſis.

ADI-

ADELARDVS AMSTEL-
REDAMVS COR. AVRELIO
DOCTISSIMO S.

GRANDIS *Louanij eſt contentio inter pleroſque doctos, Hollandiam non poſſe vocari Bataviam. Iſtud niſi tu refellas & improbes, nemo eſt qui poterit; vt cui totius Hollandiæ reconditiſſima quæque ſunt perſpectiſſima. Nam & huius auctor opinionis Nouiomagus te ſolum veretur, teq́ vnum omnibus Hollandiæ doctiſſimis viris præfert. Cupit amicè refellas rationes ſuas, & citò cupit: quod ni feceris, pudefiam ego, conſtanter aſſerens, te vt facillimè, ita & veriſſimè poſſe manifeſtam eius inſcitiam oſtendere. Wilhelmum Hedanum Traiecti ad S. Iohannis Decanum conſule, ſi opus eſt, vt huic Gelro, ac proinde non ſatis Hollandiæ fauenti, reſiſtas. Sed citra calumniam fiant volumus omnia. Eraſmus Baſileæ agit. Miramur omnes quod tui ſinceriſſimi ſemper amici & præceptoris nuſquam meminit. Vale, & ſcias nullum te vno mihi chariorem Aureli. Louanij. Anno* M. D. XV.

CORNELII AVRELII

DE SITV ET LAVDIBVS BATAVIÆ

LIBER PRIMVS.

Batauiam Hollandis nulla ratione præripiendam, Hiſtoricis argumentis probatur.

CAPVT I.

ROMANI, certiſſimè cognito, Britanniam rebellaſſe, (quam ſibi olim ſub Caio & Claudio, auxiliariis Batauorum cohortibus fecerãt tributariam) mox communi Senatuſconſulto illuc Conſtantium Magni Conſtantini patrem legauerunt. Is deſtinatum ſibi munus ſagaciter obiens, Angliam tributa reddere cogit, perduellionibus aqua igniq́ue interdictis. Rebus itaque compoſitis, inſulaq́ue Anglorum recepta, mox legatus Helenam Cœli filiam (vt eos arctius in fide & officio ſibi retineret) loco vxoris accepit, quam ille pridem (quòd ſe veneno petiſſet) Romæ occiderat. In huius ſatellitio Demarchus quidam merebat', ab Athenis exilio relegatus,

fortunamq́. quaquà verſus ſequens, vir planè armis ſtrenuus & prudentia ſingulari. Qui audita ex commilitonibus incredibili Batauorum probitate, viſendæ gentis pellectus deſiderio, è Britannia Staldunum cum ſuis appulit. vbi Moſa fluuius haud procul ab æquore, reducto paululum ſinu, quaſi portum quendam egredientibus mare fecerat. Exploratis exul Athenienſis omnibus quæ mox vſui fore ducebat, lociq́. amœnitate captus, & vbere gleba, ſedem ſibi illic conſtituit. Tum Atticæ religionis memor, aram in honorem dei ſui ibidem erexit, cui Moniſchyros (nos Vnum fortem dicimus) nomen erat. Cuius adhuc auſpicio vicus ille corrupto paullulum vocabulo Monaſtherium vocitatur. Hîc oraculum erat, omnium quæ tum in Batauia minoreq́ue Friſia ſtabant longè celeberrimum. Vnde & finitimi omnes huc conſultandi gratia confluebant, & offerentes deo loci paruulos ſuos, credebant fortiores omnibus euaſuros. Proinde exire tritum in gentibus prouerbium, Fortiſſimos omnium Batauos eſſe, qui deo vni forti ab ipſis cunabulis dicarentur. Erat ea tempeſtate inter Bagaudas ruſticus quiſpiam eo in diſtrictu commorans, vbi tum Rhenus Batauorum facto ſinu ad Veteres

Monſter propè Naeldÿck

Bogra=uen. Oudewa=ter.

tende-

tendebat aquas. Huic ouis domeſtica agnum prOceriore forma & corpore enixa eſt, quàm pro ea ætatula par eſſe videbatur. Homo inſolita ſtupefactus ſpecie, pecudem deo Moniſchyro deſtinat immolandam; ratus ſibi deum illum magis magisque propitium fore, ſi tam inſuetum munus ei omni ex grege obtuliſſet. Arripit ille duorum ferè dierum iter cum matre agni; ne lactis victu proles interim fraudaretur. At vbi ad profanum Moniſchyri fanum peruentum eſt, ilicò aruſpex (qui tum oraculo præerat) proſpiciens editum ex ouicula prodigioſæ magnitudinis agnum, ſuo more ſpiritu arreptus fanatico præſagire cœpit & vaticinari, bucciſque reboare crepitátibus, & ita circumſtantibus dicere: Quiſquis, inquit, omnium veſtrum hanc pecudem immolauerit, eius diuinamus gentem genuina fortitudine & induſtria ſuis ſemper hoſtibus ſuperiorem fore. Audiit hoc ſacerdos qui tum expiandæ hoſtiæ gerebat officium, & poſſeſſorem beſtiæ alloquens; Vade, inquit, pro ſeptem frugis triticeæ ſpicis in proximũ agrum; quoniam non immolabitur hic agnus, niſi prius his fuerit ſacratiore ritu coronatus. Ruſticus omnis technæ inſcius & commenti, abiit in campum. & ne religioni quicquam deeſſet,

ſpicas haud aliter atque iuſſus fuerat colligit, quæ tum ibi, & in hodiernum vſque diem vbere gleba proueniunt. Verùm prius quàm ille reuerteretur, occiſus eſt fatalis agnus ab eius incola ruris, qui tum proximè ſacrificium ſtabat. Quibus cognitis, herus animalis haud parum excandeſcens, mæſtus abiit, matremq́ue ouiculam ad ædem Moniſchyri iratus reliquit, dicens ad loci inquilinum, Qui tuo genio filium immolaſti, & matrem pro ſimili creando fœtu in tuam perniciem retineto; huiusq́ue iniuriæ, Harpocrates noſter vindex eſto. His ita iurgio dictis, tum mox diſceſſum eſt. & quod præſul dei Vnifortis diuinando prædixerat, hoc nimirum hac luce clarius ad hunc vſq. diem veraciter conſtare videmus. Quanquam enim Batauus vterque fuit, tamen (vt coniectoris veritas comprobetur) ſimulatque Martis opera opus eſt, Rhenanus ſemper à Moſano, vt ita loquar, Batauo ſuperatur. His itaque tum hiſtoricè, tum allegoricè prælibatis, tandem quò ſcopum intendam te nunc facile mi Renerie arbitror animaduertere. vt qui minimè ſinam (quod ad me attinet) Hollandis omninò ſuam eripi, nedum præripi, Batauiam. Verumenimuerò non atra bile, non maledictis (vt ſuus plerisque

Poeldijcr terwe.

riſque

riſque mos eſt) ſed aperta ratione, & veterum dictis, & quidem adeò factis, hoſtem quiſquis eſt, piè admonitum cupio, totiſque eloquentiæ viribus eniti in mea illum reducere caſtra, & de turbato forſitan beneuolum, de ſuſpecto placatum, de æmulo gloriæ noſtræ fautorem, & de aduerſante facere mihi propitium & probè conſentientem. Plurimum enim eius eruditioni pariter & religioni deferendum eſſe quis ambigit? Sancti præterea patres (quorum veſtigia exoſculando veneror) non probant plurima ſcire, ſi ipſum ſciendi neſcias modum. Omnem quippe ſcientiæ fructum & vtilitatem in ipſo ſciendi modo conſtituêre. Quid igitur obſecro diſcis, niſi vt ſcias quo ordine, quo ſtudio, quo deniq. fine vnumquodque noſſe oporteat? quo, inquam, ordine; vt illud prius, quod maturius mouet ad ſalutem. quo ſtudio; vt illud ardentius, quod ad Dei proximique amorem vehementius accendit. quo deniq. fine; vt non ad inanem gloriam & oſtentationem, ſed ad tuam potius aliorumque ſalutem lectio tua proficiat. Quorſum, rogas, iſta? Vt planè quiſque religioſus intelligat, parum ſibi eſſe curandum, quod homines inhabitent ſolum, modò is ſibi aliisq. ſacra eruditione ac diſciplina vin-

dicet polum. Non enim, teſtante ſcriptura gentem propter locum, ſed locum propter gentem elegit Dominus. nec plurimi facit barbatus ille Hieronymus, Hieroſolymis habitaſſe, ſed ibidem bene vixiſſe ſummis effert præconiis. Poſtremò, quemadmodum Theologis vitio damus ſi Prophetarum oracula violenter in ſuum pertrahunt inſtitutum; ita & Hiſtoriographis minimè conceditur nimia perplexitate, ob ſimilium conſonantiam ſyllabarum, veterum geſta deprauare; & pro voto aliorum fila præter ordinem ſuo glomeri intorquere.

Aliam eſſe Batuam & Bethaſiam; aliam quoque Bataniam & Bethicam.

CAPVT II.

Et quoniam ex rerum differentiis æquiuocè diſtinctis ad certiorem earum perueniemus notitiam & veritatem: quantum inter ſe Betua & Bethaſia, Batauia quoque

Bethica. & Bethica differunt quàm pauciſſimis explicabo. vt vel eò clarius ac proinde facilius omnem extricemus errorem. Bethicam, extremum terræ noſtro in orbe verſus occidentem nouimus eſſe; vbi Europa ab Africa dirimitur. Interiacentibus tamen duabus

inſulis,

inſulis, quas Gades (quòd in modum ſepis *Gades.*
mari circundentur) appellamus. Primam,
& quidem maiorem alij Erythræam uocauêre. *Erythræa inſula.* quòd Tyrij eorum origine exorti ab
Erythræo mari ferebantur. Alteram, alij
Aphrodiſiam, nonnulli Iunonis inſulam diuinarunt. *Aphrodiſia.* In huius templo & ciuitate, quæ
Gadium, aliâs Iulia dicitur, Hercules ad perpetuam præſentiæ ſuæ memoriam, geminas ex ære octo cubitorum fixit columnas.
non ſecus atq. olim Bacchus ad Orientem;
Alexander Magnus apud Arimaſpos verſus
Aquilonem, cùm ſe diis æquare, & cæleſtes
accerſere tentat honores. Hoc vnum denique reſtat, vt ad Meridiem magnus ille Hiſpaniarum Rex & egregium militiæ decus,
ſuperatis Lunæ montibus nominis ſui monumenta relinquat. Nec factu difficile fuerit, breuiúque auſpicandum, modò Chriſtiani prôh dolor ſanguinis effuſione inter Catholicæ fidei reges ſatis ſæuitum eſſet. Hanc
Bethicam à Bethi fluuio qui Hiſpaniam & *Bethica.*
Luſitaniam, nunc Portugalliam, ſeparat, ab
incolis Trudetanam regionem, nos Granatam, vbi ſedes eſt regni, dicimus à grano
(Græci κόκκον vocitant) quod ibidem copioſe proueniat. in quo lanas pulcherrimo tingi
colore oſtendit Martialis, vbi dicit:

Bethis oliuifera crinem redimite corona,
Aurea qui nitidis vellera tingis aquis.

Bethaſia. Nunc Bethaſiam percurramus. Hæc Eburonum & Leodienſium terra eſt cis Rhenum ad vtranq. Moſæ fluminis ripam ſita. Cuius populi carbonum è terræ ceſpitibus eruendorum auidè ſunt ſtudioſi. quos pro fabrorum vſu Dordracum, extremum & nobile Belgarum oppidum, actuariis nauibus conuehunt. Vulgariter, Betheliers appellati.

Batua. Porrò Batuam ingredienti occurrit mihi in primis maxima eius claritas, quæ fide & religione nos præceſſerit. Hanc enim Marcellinus presbyter ante Willibrordum ad Chriſti fidem primus conuertit. deinde Sanctus Roerenfridus nouellum in Baptiſmate populum à Weſtervordio vſque in Vicum arenoſum continuis prædicationibus ſalubriter rexit. qui tandem innumeris clarus miraculis, ſanctiſſimam corporis ſui glebam depoſuit, & in Vlmo quietis ſuæ locum elegit. Et quid de huius terræ ſitu dicemus? Mira aëris cælique fruitur clemētia; Agrum habet frugibus fertilem, pecori bonum, fructiferis fecundum arboribus, fluuiis & ſaltibus, paſcuis & lacubus pro cuiuſque loci conditione cultiſſima.. à Rheno Lobeceno vſque in Lingam procurrens. Hominum genus habet ſalubri

Sandtſwijck. *Elſt.* *Linghen.*

ſalubri corpore, velox, laborum omnium patiens, tractabile, & ſuo principi ad extremam vſque ſeruitutem ingenuè obediens, conuictu facile, fidei in ſuos & amicitiæ tenax & obſeruātiſſimum: in alienos non ita. Et quid tum amplius? O nobilis & felix Batua, quæ Romanis Imperatoribus præparaſti cunabula. In te enim Iulij Cæſaris ſoror cuidam principi, Carolo nomine, iuncta, Octauianum ſemper Auguſtum genuit, & Octauiam eius germanam. Hæc regi Braboni nupta, alterum in Nouia, (nunc Nouiomago) genuit Carolum, cui Imperator auunculus plurimas dedit regiones, quibus ad annos fermè nonaginta, magnificè præfuit, vſque ad ipſa Tiberij Caiique tempora perdurans. Is Titum reliquit filium, qui rex in Germania Veſpaſianum genuit Imperatorem. Quid multis? Ea tempeſtate qua Carolus regnabat ſeptimus (vt plurima interim tranſeam) venerunt ex Pannonia in Germaniam Sicambri, anno ſalutis noſtræ CCCLXXX. ſub Imperatore Gratiano. à quo Angeſiſus huius Caroli filius Romam deductus & iterum dimiſſus, à Sancto Martino Turonum Epiſcopo baptizatur. genuitque Carolum octauum, Brabonem, & Veraiam filiam; quæ Haymoni nupta Rhenano prin- *Nouia.*

cipi quatuor genuit filios. quorum memoria vniuerſo orbi celeberrima eſt, & ad præſens vſque Haymonis filij vocitantur. Horum minimus nomine Adelbertus omnia bona ſua Eccleſiæ S. Petri in Corbia contulit. alter autem nomine Reynaldus in Colonia Agrippina tandem martyrio affectus, nunc Tremoniæ quieſcit, multis coruſcans miraculis. Quid ad hæc vos dicitis ô Batuani? Anne hæc vobis ſufficiet gloria, niſi etiam ab aliis falsò vobis eam vindicetis? Sinite, obſecro, Batauos, vel arma cohorteſq. ſuas non ſine gloria Imperatoribus illis adminiſtrare, quos vobis datum eſt in lucem edidiſſe. Contenti igitur veſtra eſtote gloria. quorum nimirum honor is demum ac tantus eſt, vt alieno colore ſeu fuco non egeat, neque aliquando cumulatior fieri poſſit. Verùm vt ad Chriſti fidem redeam (inde enim diuertit oratio) nónne vobis præ omni natione quæ ſub cælo eſt, deſuper datum eſt illum Chriſtianorum hoſtem acerrimum Simonem Godefridum Normannorum ducem occidere? quem ne Francorum quidem Rex & Imperator cum omnibus ſuis potuit ab immani totius Europæ vaſtitate iam vrbibus euerſis, templiſque ſanctorum incenſis cohibere? Hunc enim à Friſia reuerten-

Haymonis filij.

Simonis Godefridi cædes.

uertentem (qua tum à Gallorum rege in dotem neptis donatus fuerat) vos ſoli cum multis Danorum millibus interemiſtis? & in Batua veſtra tandem permiſſione diuina Chriſtianorum vindicatus eſt ſanguis, quem ille crudeliter per totum ferè orbem effuderat. Qui ergo gloriatur, in Domino glorietur. Nec opus eſt cauilloſis & diſtortè complexis veterum commentatorum auctoritatibus, ab aliis gloriam haud ſecus atque clauam ab Herculis manibus extorquere. Sua quenque liberaliter ſequitur manetque gloria. Attamen Batua plurimum à noſtra differt Batauia. Non enim illa à Walli dum à Moſa excipitur ſecundum Cæſarem incipit, neque Catthos ſibi habet finitimos, neque Caligulæ ſpeculam, neq. Oceanum in fronte, mariſque æſtuarium, quanquam ſuo illam diluuio pelagus nõ ſemel inuaſit atque diripuit. Plurima apud veteres etiam Prophetas legimus, quæ huic noſtro tempori & locis poterunt vt ſonant haud immeritò coaptari. Dicit enim Eſaias: Ite angeli velo- «
ces ad populum terribilem, poſt quem non «
eſt alius; cuius diripiũt flumina terram eius. «
Terram, quam diripiunt flumina eius, ſi ad «
ſola reſpicimus verba, rectè Hollandiam intelligimus. Nam lacus ipſi (propter frequen-

quentem maris incurſum) quos in viſceribus habet, vltra centum iugera agrorum quotannis ſua aluuione diripiunt, deuorant & conſumunt. Aſtipulabor itaque ex verbis Prophetæ, Hollandos populum eſſe terribilem inſtar leonum, vbi vel ſemel fuerit prouocatus; cuius terrorem & fortitudinem non Damiatæ modò, verumetiam ipſi Romani & Britanni ſæpius experti ſunt. Verùm longè diſtat hæc à ſenſu Prophetico tam ſcrupuloſa interpretatio. Iudæorum enim populum Propheta his exprimit, qui erat terribilis imò & terrori omnibus propter miſeriam & calamitatem quam ſuſtinebat, & poſt quem non eſt alius, populus ſcilicet miſerabilior. cuius terram flumina, id eſt impetus militum nunc ex Ægypto, nunc ex Babylone venientium, diripiunt, hoc eſt prædantur & deuaſtant. Incongruum igitur & inſolens eſt huiuſmodi captiunculis curioſius intendere, & veterum ſententias aliter atque depromptæ ſunt, incruſtare.

Accu-

Accuratiſſima Rheni qui à tergo Bataniam alluit deſcriptio; qua examuſſim & euidenter Batauiæ ſitum in longum & latum cognoſcere poſſumus, ſecundum Cæſarem & Tacitum.

CAPVT III.

NE igitur libera nonnullis errandi detur occaſio, ipſam Batauiam ante omnium oculos depingemus; modò perennem Rheni decurſum prius deſcripſerimus. Rhenus itaque inter tres maximos Europæ fluuios deputatus, de Rheticarum Alpium iugo, vſque in Oceani profunda curſum dirigit; Romanis olim memorandus contra feras gentes Imperij murus. Hic diuerſas alluit regiones, donec variato ſæpius nomine, perpetuò decurſu mari magno illabitur. qui & diuerſa diuerſarum partium flumina in ſe excipiens, euomit ſecum in pelagus, quo ipſe tendit. Porrò vbi Dusburgo appropinquat, in geminos ſe riuos diuidit. Vno (Iſelam dicunt) *Iſeram.* alluens Bronchorſtum & Zutphaniam, Dauentriamque & Hatthemum, apud Campium ciuitatem maritimam in fretum tendit Auſtrinum. Altero (nonnulli Lecam *Leca.* vocitant) Huſſenum præterlabens & Malburgum, alluit Arnhemum & Oiſterbecum,

cum, Wagenum, & oppidum Rhenum; Doreſtadum quoque. Et *nunc tandem Belloportum (Scoenhouiam dicimus) donec in Moſam refuſus mare ſubintrat. Verùm alia ex parte Noueſium deſerens & Iuliacum, vbi Nouiomagum attingit, Walis dicitur, vſque dum venias Lodeſtenum. Qui deinceps Moſa dictus (aut ſi mauis à Moſa exceptus, Lecamque deorſùm, & Gaudanum Iſelam, Romani impiam) in ſe recipiens, ad Oceanum æquè decurrit. Aſt iuſto hic forſitan ſpatio, & quidem cis Dordracum Moſam deducẽtibus, deſcribendum nobis fuerat præcipuum Rheni brachium (Plinius Helinum vocat) quo plures Salandiæ efficiens inſulas, tandem prope Walachriam Oceano commiſcetur: niſi duntaxat noſtri eſſet propoſiti, quod ad ſolius noſtræ Batauiæ ſitum attinet demonſtrandum.

*nunc, quia olim non. vt patebit ex ſequentibus.

Walis.

Helinum præcipuum Rheni brachium.

HAC itaque multiuaga Rheni præmiſſa in pelagus decurſione, nunc ad incepta reuertamur. Igitur vbi Walis fluuius deſinit, ibi Iulio teſte noſtra Batauia incipit. Hunc locum nũc Goricum ciuitas occupat; quam & celebriorem efficit amplum D. Martini collegium, & arx munitiſſima, perpetuum Caroli primi Comitis noſtri monumẽtum. Hic principium Batauorum olim fuit, ad

Goricum.

Walim

Walim ſcilicet & Lingam. præſidium ſanè quàm munitiſſimum regniq́ue principium. de quo Theodericus, primus Catholicæ fidei Comes, quem Carolus Caluus tum his terris præfecerat: Dacorum monarcham, qui iam pridem omnia in circuitu vaſtauerant, potenti manu eiecit. Ab hoc præterea loco ripa tenus Batauia noſtra progrediens, Dordracum (Belgarum, alij Slauòrum oppidum) in vlteriori Moſæ alueo relinquit; & tranſitis deinde Lecæ Iſulæq́ue faucibus, vſque in Roterodamum, Eraſmi noſtri, (optimis terrarum religione & doctrina notiſſimi) cunabulum, protenditur. A quo, eodem in aggere, Delphicos inuiſens portus, opus mirabile & ſumptuoſum, Scidamum, Vlardingumq́. pertranſit. Poſtremò Brielli peninſula è proſpectu à longè conſalutata, Stadunum cum Moſa flumine tandem intrat. Porrò vbi Moſa Oceano miſcetur, noſtra nihilominus Batauia contra chorum ad Septentrionem procedens, & à pelago in fronte excepta, vſq. ad torrentem (qui marinis è collibus diſtillans, ſacrum in Haga Comitis præſecat lucum) plurimis circumuallata terrarum tractibus percurrit; ibiq́ue finem habet ac deſinit. Batauis mox Catthi ſunt finitimi, qui hinc vſq. in Sacræ domus torren-

Theodericus primus comes Catholicus.

Dordracum.

Roterodamum.

Hillechom

Waſſenariæ domus origo. torrentem tranſeunt. His modò Waſſenarij heroës abſolutè imperant, ex Claudio Ciuile & Cereale trahentes originem. Catthos ſequuntur Caninefates vſq. in Alcmariam. *Verona.* quibus à Verona olim ciuitate maxima, accedunt Friſij & Friſiobones, vſque in mare Freſonicum. Hæc quinaria partitio quæ apud Plinium Tacitumque celebratur & legitur, totam nunc Hollandiam complectitur. Verùm vt ad noſtrum reuertamur inſtitutum, Batauos & Catthos, auctore Tacito, mare ipſum à fronte alluit, vt ſupra diximus. & Rhenus à tergo excipit in hunc maximè modum quem nunc ponemus. Itaque Rhenus ille magnus Germàniæ fluuius, olim à Rheno oppido, Rhenani regis baſilica & ha- *Doreſtadum.* bitaculo, prope Doreſtadum (alij Batauodurum) ciuitatem maximam & quinquaginta duabus Eccleſiis ante Danorum incurſiones celeberrimam, ſolito curſu (Rhenus inquam) deſcendebat, verſus arcem Antoninam, barbaris Wiltiburgum, nobis *Traiectenſis vrbis variæ appellationes.* Traiectum, Ptolomæo Naualiam, quòd illic nauium ſtatio erat in traiiciendis mercibus quæ ex mari aduectæ fuerant. Deinde Woirdenum, Swameredamum, Rineburgum, arcemque Romanorum alluebat. Inde mox gemino diſpartitus gurgite Leydas pertran-

pertranſiens, tandem in Oceanum apud Catthos ibat. Omnia igitur loca, ciuitates, vici, & paludes (vt breuiter curram) quæ in fronte à Wali & Moſa marique, vſque in Catthos alluuntur, Batauorum ſunt. Et iterum quicquid terrarum à Doreſtado Rhenus in tergo vſque in Catthos iuxta complectitur, vnanimi omnium hiſtoricorum ſententia Batauiam conſtituit. quam nunc maxima ex parte, haud iniuria Hollandiam, alij Holtlandiam dicunt; quòd olim tota ferè ſylueſtris fuerit & nemoroſa. Sic enim veterum comitum literæ aureis obſignatæ ſigillis, quas ex venerabili Domino Menardo abbate Hecmundenſi, & primate noſtro olim accepi; qui eas legit, & in ſacrario cœnobij ſui reconditas habet: qui etiam earum rerum quæ patriam ſuam (Hollandus enim eſt) illuſtrare poſſunt, quàm maximè ſtudioſus exiſtit; bonorumque omnium ac perinde literatorum liberaliſſimus fautor & patronus. vir ſanè integra fide, integriore doctrina, integerrima religione. Cuius (vt verum fatear) eiuſque monaſterij haud immerita præconia in eo libello, mi Reinerie, inueneris quem De Hollandiæ noſtræ illuſtribus viris & locis inſcripſimus. Nunc ad noſtram Batauiam, vnde exceſſimus, pedem

Leida Leidarũ, ſicut Athenæ, propter honorificentiam tantæ ciuitatis.

Holtlandia.

Menardus abbas Hecmundenſis.

dem referamus. Igitur ne meis dũtaxat verbis fides adhibeatur, nec illis perinde atque Apollinis oraculo ſtetur, vetuſtiſſimorum teſtimoniis auctorum ſingula comprobabo.

Batauiam maxima ex parte ad Hollandos pertinere, probatiſſimorum auctoritatibus ſcriptorum irrefragabiliter & euidentiſſimè demonſtratur.

CAPVT IIII.

RECTIVS nihil vnquam apud Hiſtoricos agi poſſe Tullius ipſe definit, quàm vt ſtabiliendæ veritati veterum adducant teſtimonia. Hoc enim hominibus potiſſimum innatum eſſe cognouimus, vt veritatem vel ipſa inſtigante natura fideliter inquirant. quam etſi per ſe minimè poſſunt inuenire, conſulunt nihilominus ſapientes; vt ſaltem eorum veſtigiis inhærendo, veritatem ipſam præclarius inueſtigent. Horum equidem prouocatus exemplo, & vt apes ſolent ſingulis inſidere floribus, & inde quod ad rem ſuam conducit colligere: haud aliter, quanquam librorum mihi curta ſupellex, indagandæ veritatis cauſa & intuitu, receptorum dicta ſcriptorum in medium adducam. Virtus enim intellectualis (ſi quid

Philo-

Philoſopho creditur) augmentum habet ab experimento & tempore. Illi ergo in dubiis ſunt nobis potiſſimum conſulendi, qui vel exercitio vel ſenio plurima cognouere. Ad hoc etiam nos ſuo in Cantico Moſes hortatur, dicens: Interroga patrem tuum, & an- «
nuntiabit tibi; maiores tuos & dicent tibi. «

IGITVR Hollandiam Romani longè ante Chriſti tempora Batauiam, quòd profunda & infera videbatur, vocitabant. Nam Batauia inſularis eſt prouincia, bicorni Rheno concluſa, qui vtraque ex parte ſe Oceano immergit. Hoc ipſum & Iulius Cæſar quàm maximè affirmat; qui in Commentariis ita *Lib. 4.*
ſcribit: Moſa ex Vogeſo monte profluens, in finibus Lingonum qui ſunt in Galliis ſupra Heluetios (ne omnino verbis eius tenear) & quadam parte Rhêni receptus, quæ Walis dicitur, inſulam efficit Batauorum. neque longius ab Oceano millibus paſſuum octuaginta in fretum influit. Hunc quidem locum omnes qui in Cæſaré ſcripſere commentatores interpretantur de Batauis qui nunc Hollandi appellantur. nec iniuria, neque abſurdè. Si enim hos Iulij paſſus in noſtra milliaria redigere voluerimus; procul dubio vndecim circiter conſtituent. Quod profectò ſpatium à Gorico ciuitate, vbi Wa-

lis deſinit vſque in Oceanum, iuſto reſultat calculo. niſi quòd aſſidua forſitan maris alluuione, nonnihil terrarum à Cæſaris numero nunc videas diminutum. Batauiam igitur rectè dicimus, teſte Iulio, ibi incipere, vbi Walis in Moſam decurrit vſq. in Oceanum, per octuaginta paſſuum millia. Batauiam itaq. affirmant Hollandiam eſſe, longè diſcrepantem à Betua, ſiue Batua, quæ Sicambrorum hodieq. eſt; & à Bethaſia quæ Eburonum eſt, cis Rhenum ad vtranque Moſæ fluminis ripam; de quibus ſatis ſupra meminimus. Quidquid ergo terrarum brachio Moſæ in fronte, vbi Walim excipit, & brachio Rheni à tergo prope Doreſtadum interiectum protenditur vtrinque vſque in Oceanum, Batauia eſt. At nòn continuò omnem Hollandiam dixerim Batauiam; neq. rurſus omnem Batauiam eſſe Hollandiam. quandoquidem & pars Traiectinæ diœceſis, nec forſitan minus Gelriæ. ſi quid ad eam pertinet quod à Moſa iuxta Goricum protrahitur, vſq. dum venias Doreſtadum; vbi Rhenus à tergo Batauiam alluere incipit. quod profectò in ſingulis Hollandia non eſt. Ad horum omnium aſtipulationem Raimundum virum æquè præclarum, & haud vulgariter doctum adducimus, ita

ſcriben-

ſcribentem in Indice Commentariorum Cæſaris, & maximè earum rerum quas ad cognitionem vrbium, fluuiorum & locorum inuenit: Bataui, inquit, populi ſunt inter Belgas. Nam Moſa flumen qua parte ex Rheno, ferè ab Oceano octoginta millibus paſſuum fluit, qui Walis appellatur, Batauorum efficit inſulam. Hi hodie Hollandi vocantur, diœceſis Traiectẽſis, propinqui Friſiæ, & ducatui Gelriæ, ſuntq. mari Oceano finitimi. Cui profectò ſententiæ accedunt recentiores quidam, ſed viri æquè doctiſſimi, Ioannes Tortellius, Beroaldus, Raphaël, & noſter Gaguinus. Quocirca obſecro hîc nobis pauliſper ſubſiſtere liceat, & hac ipſa luce clarius demonſtrare, quàm abſurdè illi deſipiant, qui Batuam pro Batauia intelligi volunt. Sed obſeruandum huiuſmodi fuerat, teſte Quintiliano, ne id quod ſimilitudinis gratia aſcire nituntur, aut nimis obſcurum ſit, aut ignotum. Batuæ enim principium ibi temerè ponunt, vbi fermè ad quatuor milliaria Walis nondum à Moſa excipitur. numerumq. Cæſaris quo octoginta paſſuum millia colligit, cauſantur eſſe deprauatum. Verùm hoc illis pro tam breui ſpatio ingenuè condonaremus, ſi non omnes Geographi (ſiue Ptolomæum, Dionyſium, ſiue

Pomponium cites, alioſque innumeros) deſcriberent ſingulas terrarum nationes ibi deſinere, vbi magis magiſq. Oceano appropinquat. Omnes quippe fluuij ad mare magnum veluti in antiquum chaos & matrem aquarum omnium relabuntur. Rurſus ibi terrarum ponũtur initia, vbi remotius à mari diſpariantur. At neſcio qua iſte temeritate hoc inferè & in caudam (vt cum Propheta loquar) quod illi ſuperè in caput locitant.
Batauiæ verus ſitus. Rectius igitur Iulius auctoreſque ceteri noſtram ſtatuerunt Batauiam; qui eam ibi aſſeruntincipere, vbi Walis à Moſa excipitur, & inde in Oceanum vſque per octoginta paſſuum millia in fronte protendi. & in tergo quoque à Rheno exceptam, tandem per centena paſſuũ millia, prope Catthos æquè in mare deduci. Verumenimuerò hunc protinus aduerſarij nodum rumpentes, nouam ſibi concinnant technam, & aliud (ne Geographis vt diximus aduerſentur) Batauiæ ſuæ quærentes principium, Plinij centenarium in paſſibus numerum congeminant, vt Lobecam ſaltem pertingere detur; vbi manufacto Moſa alueo Walim incurrit; hicque Batauiæ ſuæ initium nituntur reponere. Porrò hi Cæſaris verba atque ſententiam haud rectè videntur trutinare; qui

procul-

proculdubio ibi fatetur Batauiam incipere, non vbi Moſa Walim,ſed vbi Walis Moſam influit. Credimus vel tandem nunc illis iſta ſufficere,qui noſtram Batauiam facere ſuam enituntur. Sed littus arant, laterem abluunt, fruſtraq́. laborant; niſi fortè aut nouam ſibi creare volunt, aut ſomniare Batauiam. nouum præterea effodere pelagus in quod ſe Rhenus exoneret; nouam in aſpera aut alibi properabunt forſitan erigere Pharum; quæ nauigantibus, ſuis per noctem inſeruiat facibus. Hæc modò de Batauiæ noſtræ ſolùm dixerimus fronte, quà per Moſam in Oceanum deducitur. quid ſi ad tergum eius pergamus, quod Rhenus alluit? Vbinam, obſecro, hi Batuani reponēt ſibi Doreſtadum, olim ciuitatem Batauorum maximam? vbi Traiectum, arcem Antoninam,& nunc Batauorum metropolim, noſtrorumq́. ſedem pontificum relinquent? vbi denique (vt interim interiora eius viſcera, Veteres ſcilicet aquas, Belloportam, Goudamq́ue meam & Delphos tranſeam) tot propter Rhenum vicos arcesq́. ſitas, & Arcem Romanorum, grande Neronis opus. Igitur aut hæc quæ recenſuimus loca in ſua nobis quam ſomniant oſtentent Batauia; aut certè ſuo errori probè conſulentes, in noſtra hæc omnia no- Oudewater. Schoonhouen.

bis relinquant mirenturq́ue Batauia. At de his hactenus. Mauelim equidem noſtra ingenuè defendere, quàm aliena ſatyricè refellere. Neque enim hoc noſtram decet ætatem, neque vitæ inſtitutum. Omiſſis itaque his blateronibus & plagiariis; cupientes beneuolis atque amicis (quoad eius per nos fieri poteſt) haud ſegniter ſatisfacere; alterum in rem noſtram producemus teſtem, itemq́ue & tertium, vt nihil ambigui relinquatur. Accedat igitur Cæſari Plinius ipſe; cui meritò adhibenda fides, quòd Romanæ claſſi præfectus, noſtra ferè flumina enauigauit, & res Germanicas viginti & amplius libris deſcripſit. Si tamen vetuſtiſſimus codex, quem Pariſiis apud Victorinos legi,

Plinij laus. non exorbitat. Is præterea Plinius eſt, quem qui non legit, cenſetur indoctus: qui lectum faſtidit, indoctior: cui deniq. non ſapit, indoctiſſimus. Nec omnino in tanta literarum iactura naufragamur, quamdiu nobis

Lib. 4. cap. 6. ſuperſtes eſt Plinius. Is itaque talis tantusq́. auctor ita de noſtra ſcribit Batauia: In Rheno autem ipſo, inquit, prope centum millia paſſuum in longitudine eſt nobiliſſima Batauorum inſula, & Caninefatum, & aliæ Friſiorum, Caucorum, Friſiabonum, Sturionum, Morſaciorum. quæ quidem inſulæ

ſternun-

ſternuntur inter Helinum & Fleuum. Ita " *Oſtia*
appellantur oſtia in quæ effuſus eſt Rhenus. " *Rheni.*
ab Septentrione in lacus: ab Occidente, in "
amnem Moſam ſe ſpargit. medio inter hæc "
choro, modicum nomini ſuo cuſtodiens al- "
ueum. Hæc Plinius. Cui è veſtigio priuſ-
quam aliis diſtrahamur, Cornelium Taci- *Lib. xx.*
tum iungemus, noſtram in hoc veram Bata- "
uiam deſcribentem: Bataula, inquit, inſula "
quam mare Oceanum à frõte, Rhenus am- "
nis tergum ac latera eius circunluit, & tem- "
pore hyemali aquis obtegitur. Quibus ex "
verbis hoc breuiter citra omnem iniuriam
inferre poſſumus, vt ſi qui nobis Batauiam
præripere geſtiunt, doceant inprimis neceſ-
ſum ſit, Caninefates ſibi eſſe finitimos; vr-
bemque ipſorum nominatiſſimam, & ipſis
etiam Ægyptiis atque Heliopolitanis formi-
datam; Herlemum nunc dicunt, olim Bac- *Herlemum*
chi ſyluam vocitabant. Deinde vt inter duo *Backes-nes.*
Rheni oſtia (Helinum dicimus & Fleuum)
demonſtrent ſeſe contineri. Poſtremo, ni-
hilominus in fronte ab Oceano ſe ablui, æ-
què nobis declarent. Sed quoniam hæc om-
nino præſtare non poſſunt; quia neque Ca-
ninefatibus ſunt proximi, neq. Helino com-
plectuntur & Fleuo, neque ab ipſo mari af-
fluuntur, nobis cum pace Batauiam quæſo

relinquant. Niſi fortè ingenita ſibi pertinacia dicere pergant, Hollădiam prorſus olim terram non fuiſſe, ſed nuper nouam cum ceteris prodigioſæ eruptionis inſulis è pelagi viſceribus emerſiſſe. Verùm hanc ipſorum hallucinationem, ſcotoma & vertiginem facilè medicabimur; ſi, qua ratione olim Rheni curſus apud nos ſit obturatus in medium adferàmus. Omnis enim contentio eorum & controuerſia eatenus tendere videtur, & alibi Batauiam quærere: quatenus non aſpiciunt nos in tergo, vt olim, à Rheno allui.

Plurima temporis morbo ita ab hominum obliterari memoria, vt ne illa quidem olim fuiſſe certò conſtet. De oſtio Rheni obturato, vbi primum noſtram Batauiam ingrediebatur. De Arce Britonum in Catwico exciſa. deq; eiuſdem teloneo in Leidas tranſlato cum omnibus emolumẽtis & iuribus ad vſum principum Catthorum.

CAPVT V.

INNVMERA poſſemus ſuper his adferre teſtimonia, quæ noſtram nobis iure Batauiam reſtituunt. Sed quoniam hæc ſatis è re noſtra, & beneuolis credimus ſufficere; ad vi-

ad viciniora noſtræ ætati tempora deſcendere properamus; & Rheni noſtri alluuionem haud temerè obturatam recitare. Meatum itaque fluminis Rheni qui ab oppido Rheno propter Doreſtadum à tergo noſtram Batauiam vſq. in Oceanum perpetuo decurſu alluebat, hoc modo obſtructum eſſe haud ſemel ex vetuſtiſſimis Traiectinorum Chronicis legimus. Tempore enim Hungeri (qui vndecimus à Willibrordo præſidebat Epiſcopus) cùm Dani, iuxta ſancti Frederici prophetiam, Traiectum, totamq. Hollandiam hoſtiliter deuaſtaſſent, viſæ ſunt in cælo ſtellæ inter ſe concurrere, fulgura Iouisque tela acrius ſtridere; flumina ſupra modum augeri & excreſcere. quod vtique non tantùm ad præſens damna inferre, verumetiam & aliqua ſignificare futura Iſidorus teſtatur. quid multis? tanta Circio diuſculè flante facta eſt ex Cathwico verſus Leidas maris inundantia, vt ad Traiecti mœnia piſces marini caperentur. Surſum quoque Rhenus tum grandi pridem niue perauctus, veterem ſecum Iordanis adducens tragœdiam, conuerſus eſt retrorſum. Qui, dum (concertantibus inuicem aquis ventorum violentia) in mare deſcenſum non haberet, omnem, properè egreſſus ripas, inuadit continentem.

mox

mox pecora inuoluens & homines, triſtem vbique ſui excurſus relinquebat imaginem: ita vt etiam ipſa Sicambrorum Batua Deucalionis ſeculum lugeret innouatum. Tum arbores ſyluæque propter marini gurgitis ſalſedinem arefactæ, tandem effractis viribus, ventorum turbine ſunt diſiectæ. Quas, ad hanc quoque diem vidimus apud Veteres aquas, alibique è terræ viſceribus erui, & cuneis inſciſſas, ſarciendis domorum tectis regulatim coaptari. Hoc igitur malo afflicti, & animo conſternati omnes qui circumcirca morabantur, Batuani ſcilicet & Traiectini; Batavi quoque & Hollandi, ſibi poſteriſque ſuis de maiore periculo prouiſuri, deliberato diu cenſuère decreto, vt ab vrbe Doreſtado ab vtraq. ripa, modici amnis à Rheno deorſum Viennam verſus ſtillantis (Lecam dicunt) aggeres conſtruerent, & in eos effoſſis ruderibus manufacto meatu, Rheni fluenta deflecterent. Quod & vnanimi ſtudio, ardentique opera, & plurimis denique impenſis pro communi vtilitate elaboratum eſt, & efficaciter abſolutum. Qua ex re quoniam & aſcendentibus è pelago nautis, & rurſum è Rheno deſcendentibus in mare, commodior via, & quidem compendioſiore tractu adoleuit. paulatim prior ille meatus

Oudewater.

Vianen.

tus Rheni tum pridem interceptus & obſtructus, adeò cum tempore euanuit, vt ibi iam boues paſci videas, vbi olim maximè inter Doreſtadum & Traiectum videre licuit natare carinas. Ita Rhenus & nomen apud nos & flumen amiſit. Quanquam deſuper Woirdenum, arcemq́ue Godefridi præſulis, tenui alueo, deinde paulo effuſiore Leidas ſubintrans, iam prope Rynſburgum, haud procul à regali ſacrarum Virginum abbatia, facit ſtationem, quod dudum ſupernè obſtructo eius antiquo meatu, ſcopuli etiam in Catwyco, vbi pelago influebat, redintegrati ſunt. Et ne hoc quidem ſolùm à noſtra ſublatum eſt memoria, verumetiam Pharus illa & turris ſpeculatoria, quam in littore Oceani prope Catwycum olim Caius Caligula Rom. Imperator poſuerat; vt per noctem, facibus incẽſis, nauigantibus inſeruiret; ita prorſus euanuit, vt ne illam quidem olim ibidem ſtetiſſe, iam credamus. Et quid eſt in vniuerſo orbe quod non obliteret vetuſtas, aut temporis morbo intereat, ſi non literis commendetur? Verùm longè alia huius Phari deſtruẽdæ viſa eſt ratio, atque adeò ſine omni vtilis detrimento & honeſta, vt ne poſſeſſori quidem doleat eam amiſiſſe. Nam, vt paulò altius repetam;

Iulius Paulus, & Cl. Ciuilis fratres.

tam; hanc arcem à Romanis Imperatoribus poſt C. Caligulam & Claudium, Iulius Paulus & Claudius Ciuilis fratres poſſidendam acceperant; quòd hi patre quidem Batauo, ſed matre Romana eſſent progeniti; maiorum ſuorum more bicornis lunæ ſignum in armis deferentes. Hi igitur horumque poſteri, ex hac arce Britonum appellata (quòd ab ea facillimus in Britanniam ex oppoſito eſſet tranſitus) piraticam exercentes, vectigalia ab omnibus Rhenum intrantibus & exeuntibus accipiebant. Sed ne iſta quidem ſufficiens fuit arcis diruendæ cauſa & occaſio; quoniam non ſuis ſed duntaxat alienis hæc grauamina imponentes, patriam fortiter præclariſque facinoribus defenſabant: ita vt tam apud Danos, omneſque maritimas nationes haud ignauiter celebres haberentur. Si quid enim apud finitimos ſuper negotiis pelagi natum eſſet quæſtionis, aut quoties in commune conſulto opus erat, ad iſtos qui tum arci præſidebant, legati mittebantur, contempto Batauiæ omniſque minoris Friſiæ domino & comite. Quod, moleſtè ſatis ac ingrato animo ferens Comes, quia nullius apud exteros precij haberetur; Dominum Waſſenarium, Catthorumque principem, qui tunc arcem regebat, acceſſiri ad

ſiri ad ſe iubet; ſortemque ſuam apud illum deplorans, petit iuri ſuo & arci lubens ei cedat, & in Burchgrauium Leidenſem præfectumq. cum ſolitis Rheni vectigalibus eum conſtituit: traditque caſtrum quod ibidem bicorni gurgite Rhenus circunluit; opus quidem rude & ſphæricum, ſed munitiſſimum, ſi defenſorem habeat. Tanta inſuper eſt porrectum ad cælos altitudine, vt omnibus ciuium tectis facile ſupereminent; habensq. ſubinde, quaquà verſum velis, proſpectus aptiſſimos. Intra huius ambitum puteus eſt mira profunditate; raram tamen continens aquam, ſed dulcem & limpidiſſimam. de quo inaudita & incredibilia fabulantur. In planitie verò & circuitu (quo ad vtrunque Rheni brachiolum apertus eſt tranſitus) fructiferis conſitum eſt arboribus & vinetis, vt alteram non deſideres paradiſum. Hanc modo arcem dominus meus & amicorum ſinceriſſimus Petrus Brunus canonicorum Sancti Pancratij decanus, vir ſingulari eruditione & doctrina, legumque & canonum longè peritiſſimus, ad ſuas ſuorumq. delitias ſub annua excolit penſione. Hæc igitur, vt dicere cœperam, caſtrorum commutatio, & noſtri Comitis prouida cóceſſio ad hunc vſque diem iure hæreditario heroibus Waſ-

Caſtrum Leidenſe.

Petrus Brunus.

ſenariis

ſenariis perſeuerat; & perpetui omnium quæ per Rhenum importantur portitores ſunt inſtituti. Tanti ſuam Comes patriam habuit, vt & aliis omnibus poſthabitis eius gloriæ conſuluerit, & vaſallo ſuo nihil emolumenti ademerit. Porrò obfirmatis ſigillo pactis, Caſtrum illud apud Catthos, arcem Britonum dicunt, quòd ab ea directus in Britanniam erat tranſitus, mox dirui Comes iuſſit, & priſtinā apud exteros noſtra ſuſcepit Batauia dignitatem, notitiam, & honorem.

Veterum verbis, auctoritatibus & dictis facta & opera ſubiunguntur. vt qui verbis nolint credere, vel operibus ipſis credant, quibus Romani irrefragabiliter atteſtantur, Batauiam quàm maximè Hollandorum eſſe.

CAPVT VI.

OPERÆPRECIVM nunc eſſe arbitror, Reinerie virorum omnium candidiſſime, his veterum auctorum teſtimoniis & verbis, opera ipſa & facta coniungere; & Romanorum monumenta in medium adducere, quibus noſtram, atque adeò noſtram illuſtrarunt Batauiam; vt alteram nemo qui vel hominem agit cupiat inueſtigare.

gare. Quibus nimirum hac ipſa luce clarius poterit cunctis irrefragabiliter eluceſcere, Batauiam ipſam non Sicambrorum, ſed quàm maximè Hollandorum eſſe prouinciam. Videre enim mihi videor, nonnullos ea comparatos eſſe natura, vt ipſis etiam Iudæis reperiantur duriores, qui abſque prodigiis & ſignis non coluère Deum. Accipiant itaque hi ſigna euidentiſſima, & in rem noſtram atque ſententiam venientia, quæ hodiè extant, & cernuntur, quæ quotidie compaginantur, & leguntur; vt ſi non Hiſtoricorum verbis, certè ipſis fidem adhibeant factis, & lapidibus inſculptis; per quos ipſi Romanorum Cæſares nos credere compellunt, partium Hollandiæ Batauiam eſſe. Anno igitur ſalutis noſtræ ſupra milleſimum quingenteſimo ſecundo inuenta ſunt obiter aratro humum proſcindente, prope Leidas ad iactum ſagittæ ab ipſo Rheno, vetuſtiſſima Romanorum monumenta, grandibus inſculpta ſaxis, cùm circumferentia ad quadrum & fundamentis magni palatij. Cuius ſanè muri ſenos in latitudine, ducentos in longitudine pedes habebant; & in ſingulis eius quadraturæ angulis, ſingulas opere ſphærico miræ amplitudinis turres. Inter cetera, vt breuiter curram, huius Ro-

manorum arcis ruinoſa, & plurimas forſitan fide maiores reliquias (ſi oculi fallerentur) duo præcipui & grandes inuenti ſunt lapides, qui Romanis inſcripti characteribus hoc continebant:

Scriptura ſculpta in primo lapide.

SEVERVS. PIVS. PERTINAX. AVG. IMP. TRIB. POT. VIII. IMP.

Hoc eſt, Seuerus, Pius, Pertinax Auguſtus Imperator, Tribunitia poteſtate, octauùm Imperator.

Alia ſcriptura.

AVG. PIVS. PONT. MAX.
P. L. SEPTIM. SEVER.
COH. XV. VOL. P. P.

Hoc eſt, Auguſtus Pius Pontifex Maximus Publius Lucius Septimius Seuerus Cohortis quintædecimæ Voluſianæ, aut Volſcorum.

Sculptura & ſcriptura ſecundi lapidis.

IMP. CÆS. L. SEPTIMIVS SEVERVS AVG. ET M. AVRELIVS. ANTONINVS. CÆS. COH. XV. VOL. ARMAMENTARIVM. VETVSTATE. CONLAPSVM. RESTITVERVNT. SVB. VAL. PVDENTE. LEG. AVG. PR. PR. CVRAN. CÆCIL. BATONIE. PRÆ.

Hoc

Hoc eſt, Imperator Cæſar Lucius Septimius Seuerus Auguſtus,& Marcus Aurelius Antoninus Cæſar, cohortis quintædecimæ Volſcorum, vel Voluſianæ, Armamentarium vetuſtate conlapſum reſtituerunt. ſub Valerio Pudente Legato Auguſtali, Præfecto prætorio, curante Cæcilio Batonte præfecto.

Mirum itaque ſi non miremur tantam Romanorum erga Batauos ſocietatem, gratiam & amorem; apud quos non obſtantibus tot terrarum ſpaciis, tanto ſuum armamentarium labore opera & impenſis inſtaurant, curante Cæcilio Batonte Batauorum præfecto. Quæ quidem reparatio, ſi diligenter rem & tempus inſpicere volumus, facta eſt ſub Romano Pontifice Caliſto primo. qui omnibus Deo ſacratis clericis & ſacerdotibus continentiam indixit, circa annum Domini ducenteſimum viceſimũ primum. Primam tamen eius fundationem nuſquam adhuc legimus,neque ſupremam eius deuaſtationem; qua profectò ita ſub terris obrutum eſt, vt nemini noſtrûm antea conſtiterit quicquam ibi latuiſſe; vbi nunc tandem hæc eius arcis celeberrima Romanorum inueniuntur monimenta.

Sculptura & ſcriptura eiuſdem lapidis in hac pagina.nam habet quatuor pedes in altitudine,& ſenos in latitudine, poſitus ad introitum anterioris portæ. Vidimus, compegimus & legimus:

S. NERVAE. TRAIA. CÆS. GER. DACICO. TRIB. P. PP. CONS. V. LVCENSIVM. PRÆF. TRAIANO TRIB. PO. LVCENSIVM.

ANNOT. Hæc inſcriptio parum proba eſt,videturque omnino ex diuerſis inſcriptionibus conflata. Sed quum author ſe eam vidiſſe & compegiſſe teſtetur, intactam relinquere, quàm mutare, malui.

At forſitan ad hæc inferet Batuanus noſter, & dicet: Quid ſibi hæc omnia, ô Aureli, ad tuam Hollandorumque Batauiam? An verò quoniam in hac inſcriptione legis *Curante Cæcilio Batonte*, ad Batauos continuò referes? Minimè inquam. Abſit abſit hoc à me; nec quiſquam credat velim tam hebeti me eſſe ingenio, tamque ſcrupuloſum vt iis me cauillis occupem. Non enim in angiportu ambulamus; prætorias & conſulares ingredimur plateas, arceſque Romanas. Reſpice igitur & legito quæ ſequuntur, & quidem maximis in hanc formam ſcripta characteribus.

GENS

GENS BATAVORVM, AMICI ET FRATRES ROMANI IMPERII.

Hæc facilè inſcriptio ibi quàm maximè declarat eſſe Bataviam vbi olim ſtetit & nunc tandem noſtra ætate reperta eſt. Credo igitur te quiſquis es, tantis teſtibus & tantis rerum monumentis ita obrutum, confutatumque eſſe ipſa etiam veritate, vt nihil poſthac repugnare, nihil vltra quærere meritò debeas.

Epigramma tumultuarium & extemporale in eundem.

Hiſcere nũ contra perges? Non, cedere fas eſt.
Credere & his veteres quæ poſuêre patres.
Si tibi profuerint quæ ſcribimus; ito, valeq́:
Sin minus, eſt mecum pugna gerenda. caue.
Sæuiet Aurelius, grandemq́ ardeſcet in iram vel *exurget*
Carmine, bile, ſtilo, Theſpiadumq́ manu.

Inuocat auxilium omnium literatorum.

Arma huc ô Muſæ, vos huc Heliconides arma
Conſerite; inq́ ſpatas perfidus hoſtis eat.

Ferte arma Aonides, ſi non reſipiſcere curat,
Pellite eum è caſtris, fiat aſellus iners.

Batauus ad Batuanum.

Horum acies ponenda tibi: iam iamq́ videbis
Me cataphractatum, qui pedes antè fui.
Aut cede, et noſtris tandē coniungere caſtris,
Aut metue, & fugito. Nam tibi tela paro.

Inuenta demum citra omnem controuerſiam Batauia: quanto eam habitatores amore coluerint, quantáque illuſtrarint virtute, nunc pariter audiamus.

CAPVT VI.

CORNELIVS quem Tacitum cognominant, habito iam ſine omni hæſitatione Bataui æ loco, de loci eiuſdem incolis, ſua quidem ſententia, ſed noſtris nobis loquatur verbis. Qua videlicet in hoſtes virtute, qua in amicos fide & gratia, quo denique in patriam amore fuerint, quàm pauciſſimis repetemus. Nam mores & vitæ eorum inſtituta proprium ſibi codicem poſtulant & morantur. Arcem igitur illam (cuius iam iamque monimenta, & vt verius dicam, reliquias & fragmenta oſtendimus) Vitellius inferioris Germaniæ ſub Nerone

princeps gubernans, communiter & pacificè cum Batauis agebat. Claudium Ciuilem gentis primorem charum habebat ex animo, eratque viro comiter inclinatus. Præterea omnibus ciuiliter præeſſe, cum æqualibus curſu certare, iaculari, obequitare, venari, cunctiſque gratus eſſe. Cuius rei gratia, ſuorumque precibus, Ciuilis vir ſanè quàm regia ſtirpe, noſtraſque prouocatus, filio Romani principis filiam ſuam dedit vxorem. ea demum ratione, vt communibus populi ſui rebus ingenuè conſuleretur, & pacem cum Romanis perennem haberet. Hoc Latini fœdere non parum erecti, cœperunt in terra non ſua nequiter agere; genium vino, iociſque curare, colonos opprimere, incautis inſidiari, aliena rapere & calumniari. Deinde, quæ ſua illis natura eſt, ſtudere auaritiæ, luxuque omnia fœdare; impuberes forma conſpicuos, &, quæ pleriſque noſtratium eſt, procera pueritia, in naturæ dedecus ad ſtuprum trahere, & ingenuam iuuentutem ad delectum vocitare. His citiſſimè Claudius cognitis, ſuorumque fortunæ miſerens, & ab infandi ſceleris haud minimè abhorrens turpitudine, primores gentis ſuæ, & promptiſſimos quoſque vulgi, quaſi ſpecie epularum, Sacrum in nemus vocitabat.

Vbi cum eos mero & lætitia incaluiſſe videt, à gloria laudeque patria orſus; iniurias, raptus, & cetera ſeruitij mala enumerat: neque ſeſe iam à Romanis ſocios, vt olim, ſed tanquam vilia haberi mancipia. Inſuper inſtare propediem delectum, quo liberi à parentibus, fratres à fratribus, mariti ab vxoribus veluti ſupremùm diuidantur. Emori præſtare per virtutem, quàm hanc miſeram vitam atque inhoneſtam, vbi alienæ ſuperbiæ ludibrio ſimus, diutius ſuſtinere. Magno cum aſſenſu auditus Ciuilis, vniuerſos ſibi adigit. Miſſi ad proximos Caninefates ſunt qui conſilia ſociarent; ſtatimque accitis Friſiis qui mox nauigiis ad arcem Britonum appulerant, repente Ciuilis arma rapit; idemque ceteri facere. Quid multis? Incautum Vitellij filium (nam ille, tum agebat Maguntiæ) nec de commeatu ſatis prouiſum, vt qui amicitiæ gratia nihil tale ſuſpicaretur, in caſtro (Arcem dicunt Romanorum) prope Leidas inopinata premunt obſidione, & hoſtiliter circumuallant. Eiecto poſt alterum diem ab arce, præſes nocte concubia nuncio patri Ciuilis temeritatẽ ſcribit; qua neque ſtaret conuentis, neque geniali thoro quicquam deferret; oratumque mittit, vt ſi ſibi ſuæque poſteritati bene conſultum eſſe

cupiat, ſine mora deſcenderet liberare filium ſuum ſtrictiſſimè obſeſſum. Nuntius in itinere Traiectum verſus à Batauis interceptus, ad Claudium reducitur; literas rogatur, & offert, omneque negotium coràm profitetur. Tum Ciuilis ad præſidis tabellionem ita refert, dicens: Ecce literas domini tui integras tibi reddimus; Vade ocyus, ne ſteteris. extremum enim Vitellij periculum ſimulque noſtrûm nunc agitur. Interea auſpicandum nobis eſt, vt qui plurimum debemus virtuti; quid etiam fortunæ ſi adſit, debeamus innoteſcat; quam nemo vnquam mortaliũ diu in poteſtate habuit. Hæc & alia huiuſcemodi vbi Claudius dixerat; poſt præſidis nuntium, & ipſe verſus Vbios & Rheni accolas mittit; orans vt ſaltem Vitellij iter & deſcenſum ſuo equitatu retardent, & tranſitu coërceant. Nam tum Colonienſibus etiam hoſtis erat. Se interim ſuo periculo in commune libertati conſulturum, ipſum ſe huius præclari facinoris caput & principem gerere; neque militarem ſine duce turbam aliud quicquam eſſe quàm corpus ſine ſpiritu. Quare ſibi inprîmis capta oportunitate conſulerent; deinde amicis in neceſſitate non deeſſent. Vnam omnium eſſe ſententiam, Romanos omnes

è Germania propellere; libertatem natura omnibus etiam mutis animantibus datam; virtutem verò proprium hominis bonum; deoſque fortioribus ſemper adeſſe.

Audita eſt huiuſmodi Ciuilis oratio ab Agrippinenſibus cum omnium ſilentio & aſſenſu; tranſitumque Vitellianis non permisère. Interea præfectus arcis Romanæ (quam tum Claudius noſter cum ſuis occupauerat) ſpe venturi patris deſtitutus, ac interim annonæ attritus inopia, ſe ſuamque ſupellectilem pacto redimens, arcem Ciuili aperuit; ſicque noſtris nullo ſanguine & vulneribus victoria ſtetit. Deinde confeſtim duarum cohortium hiberna proximè Oceanum irrumpunt, nomenque Romanum quaquà verſum ab inſula ſua propellunt.
» Nullum etenim mare tantos concitat flu-
» ctus, quantos multitudo libertate luxurians
» habet motus. Hæc vbi Romæ audiuntur, lugère omnes, Vitellij iniuria & libidine Batauos fratres & amicos Imperij à ſe tandem deſciuiſſe. Quare mox illum iuſſu Veſpaſiani accitum, Tiberinis immerſere vorticibus; quòd ſuæ ſtudens auaritiæ, fidiſſimos Imperij ſocios, ſua etiam petulantia Imperio abrupiſſet. Ecce tanto Claudius Ciuilis pro patria ſuccenſus eſt amore, vt ſe

vltro

vltro cum ſuis Batauis, eatenus periculo expoſuerit, quatenus deteſtabile crimen vlciſcens, de medio ſuorum tolleret. tametſi omnes ſui tributorum expertes erant, viros tantum & arma Imperio miniſtrantes.

Quæ Bataui Imperio beneficia præſtitere, & quæ illis viciſſim Imperium præſtitit.

CAPVT VIII.

GAVDE nunc igitur in ſinu ô felix Batauia, quæ tales produxiſti viros quibus Romanum haud minimè ſuſtentabatur Imperium; & qui rurſum in multis decorati ſunt ab Imperio. Tanti enim ab Impp. priſcæ ætatis habiti ſunt, vt ſine illis nullum extra vrbem armigeri Martis ſubire tentauerint periculum. Hi ſunt quippe Bataui, qui ablatam Neroni Italiam reſtituêre. hi ſunt qui Veſpaſiano diu deliberanti, amicitiæ gratia Imperium adegêre. Hi ſunt denique Bataui, qui Heduos iuxta Ararim fluuium & Auernos populum Aquitaniæ inſtructiſſimo equite protriuêre. cum quibus olim ne ipſe quidem Iulius congredi audebat; quòd aquis vndique ſepirentur, & innumera gauderent populi multitudine. Frequẽter enim in Cæſarem circiter ducenta millia pugnatorum

torum

torum eduxerunt. At Bataui milites imperterriti & equites, præcipuo natandi ſtudio edocti, arma equoſque retinentes, integris turmis nouerant flumina perrumpere, & ab inſperato hoſtibus imminere. Per hos præterea C. Caligula & Claudius Impp. Britanniam tributariam effecerunt. Per hos Galba, Ottho & Vitellius ſacri Imperij incubatores profligati & repulſi. Per hos denique Lingones in prouincia Lugdunenſi, quos Vitellij motus turbauerat, in Imperatorum officio ſunt retenti. Tam enim formidabile cunctis Batauorum erat nomen, vt grande viderentur momentum ſociis, aut (prout inclinaſſent) aduerſis; quod & Martialis poëta, & Domitiani culinarius teſtatur his verbis, dicens:

Sum figuli luſus, rufi perſona Bataui,
*Quæ tu derides, hæc timet ora * Pater.*

* *Domitianus.*

Hæc Bataui, vt quàm pauciſſimis plurima prætercam, Imperio præſtitere. Nec mentiar, ſi dicere velim, & congruis teſtibus aſſeuerare, nunquam per orbem, tantum terrarum ſub Regibus ipſis vſque ad Tarquinij Superbi expulſionem Romano adauctum eſſe Imperio; quantum illi, victricibus armis, Batauo adiecêre. Neque enim omnes ille veterum cruentæ victoriæ, & tantis

emptæ

emptæ calamitatibus, per ducentos fermè & quadraginta quatuor annos, tantum dilatare potuerunt Imperium, quantum illud ſuo tempore Batavi extendère. Sed dices; Quid rogo pro his omnibus præſtitit Batauis Imperium? Plurimum, inquio, per omnem modum. Inprimis tanto eos Romani honore & gloria, amore & beneuolentia (quibus neque melius neque amplius in natura mortalium eſt) & quidem quàm officioſiſſimè proſequuti ſunt; vt illos nullo modo à ſe diuelli permiſerint. Cum enim Fabius Valens præfectus Auguſtalis Batauos ab exercitu Romanorum diuidere deſtinaſſet; quòd paulò iactantius garrirent, omnem belli fortunam in ipſorum manibus ſitam; quodque ſimul ex petulantia (vt plerunque fit) perfidiam ſuſpectabat: mox mœrère ſocij Romani, fremere Legiones, orbari ſe fortiſſimorum virorum auxilio. Veteres illos tot bellorum victores, diuque exercitos, poſtquam in conſpectu ſit hoſtis, veluti ex acie abduci; clamitantes Batauos Imperij ſanitatem, ſuſtentaculum, robur & columen. neque ideò abrumpendos, vt corpori validiſſimos artus. Ceterùm tanta Romani Batauos fide & gratia donauerunt, vt ſuum inter eos erexerint armamentarium; in rebellium

bellium terrorem; & poſt plurima annorum curricula, illud vetuſtate conlapſum ad perpetuam mutui amoris memoriam inſtaurauerint. Quid de præſidiis dicam, quæ in littore maris, ad tuendam ſibi Batauiam ab incurſu Barbarorum, olim poſuerunt? Quid referam de aggeribus & collibus, quos tum in noſtræ regionis fronte, cõtra maris æſtum; tum in tergo aduerſus Rheni excurſum plurimis laboribus & impenſis conſtruxerunt? Quid denique loquar de Latinarum Schola literarum, quam ibidem ad Rhenum haud procul à caſtro (quod arcem dicimus Romanorum) aperuerunt? Videntes enim Batauinam iuuentutem procera pueritia, acrique ingenio, ſi ſtudium non deeſſet: linguam eorum ſuapte natura exſertam, vocalem, expeditam, & ad omnia habilem idiomata, & cui extremæ non excidunt tenuiter ſyllabæ; nec vox faucibus auditur, ſed plano reſonat pectore; ſermoque profertur expreſſior: non potuêre committere quin Romano eos inſtruerent eloquio, quorum induſtriam & linguam, ſuâ tum eruditam, ſibi adhuc vſui fore ſperabant. Nam quoniam Batauia portuoſa eſt, & mare ei apertum, quo ad omnes facillimâ nauigatione peruenias nationes: credebant Romani; in nullo

Schola.

ſibi

ſibi vtilius conſultum iri, quàm vt Batauorum pueros bonas artes omnemque ciuilitatem edocerent; vt vtriuſque linguæ ſuffragio faciliùs ad ſubiugandas ignotæ ſibi linguæ nationes perrumperent; & Batauos eorundem iuuenum parentes, ea ſpecie in officio acriùs retinerent, quorum filiis tantam impendere curam videbantur. Tota nanque Romanorum ſpes & fiducia totius Germaniæ in fide conſeruandæ, à ſolis tum viſa eſt Batauis propendere; qui iam diu Germanorum bellis erant exerciti. ne ſi illi forſitan ab Imperio deſciſcerent; reliquæ Teutonum, imò & Galliarum nationes mox ſequerentur. Nec multum abfuit, ſi non frequenter cum illis Romani principes diſſimulaſſent. Propterea enim, & quidem quàm maximè Iulius Ciuilis præpotens inter Batauos periculo exemptus eſt; vt non cum Pompeio Belgicæ procuratore, & Iulio Burduno Germanicæ claſſis præfecto, morte abriperetur. Cauſam rogas? Ne eius ſupplicio, (inquit Tacitus) gens ferox Batauorum à Romanis alienaretur. Tam formidata Romanis Batauorum virtus, tamque accepta fuit eorum fides & conſtantia.

Hactenus ex reconditiſſimis Veterum archiuis, verè de vera Batauorum regione, potentia,

potentia, ſocietate & gratia cum Imperio, ſatis dixerimus. Reliquum eſt, vt nunc de noſtræ inſularis Batauiæ felicitate, quæ inter duo Rheni brachia ſita eſt, perpauca dicamus. Hæc gemina Rheni oſtia Plinius Helinum vocat & Fleuum. Illud prope Walachriam, extremam Rheni & Salandiæ inſulam, Oceanum petit. Iſtud verò circa Herlingum celebrem Friſiorum portum, & proximè Scellingiam in mare præcipitatur.

De inſularis Batauiæ felicitate, cultu, delitiis & commerciis, vide finem libri ſecundi. in quem locum Aloyſij Marliani elegantiſſima ea de re Epiſtola conſultò reiecta eſt.

CORNE-

CORNELII AVRELII

DE SITV ET LAVDIBVS BATAVIÆ

LIBER SECVNDVS.

Reynerio Snoyo Geduano, viro doctiſſimo & Medicinæ profeſſori,

CORN. AVRELIVS S.

OPTATISSIMA nobis eſt, mi Reineri, virorum omnium candidiſſime, tuæ flagrantiſſimæ voluntatis inſtitutio; qua pridem animo deſtinaſti, mutua Epiſtolarum viciſſitudine, quòd corpore ſeparamur, in literario mecum ſtadio velitari. Conditionem fateor pro mea virili, & quidem amicè fideliterq́ue admitto. At caue tu interea, amicorum ſinceriſſime, ne contra te Carneadem prouocaſſe doleas; dum (quod forſitan quàm fieri poterit breuiſſimè) tuarum quæſtionum nodos cupis diſſolui; multo ille ocyter longiore quàm æquum eſt oratione, ex ea quam ei facilè tribuis dicendi copia tuas aures defatiget. Nec te Daretis qui-

dem ac Entelli oblitum eſſe velim, barbatique Hieronymi dicentis: Bos laſſus fortiter figit pedem. Caue itaque tibi ne dum preſſius aliquando humi veſtigia fixerim, tuas dolenter obtriuero plantas. Verùm hæc interim more noſtro familiariter iocati ſumus. Tuæ enim charitati morem gerere, quoad eius per me fieri poteſt, gratiſſimum habeo. Veruntamen in his quæ flagitas non me agogum & ducem; ſed ſocium & comitem lubens offero, polliceor & ſpondeo. Cùm igitur intelligam te magis ex aliorum ingenio, quàm proprio (vt qui in tuis elaboratiſſimis Batauorum Comitum & Pontificum hiſtoriis ne in minimo quidem à me diſſentias) hæc ipſa dubitando proponere: haud moleſtum nobis fuerit, quantumlibet dabitur otij (nam diurni cogimur ex religione laboris penſum reddere) ſucciſiua tempora tibi & amicis impartiri. Igitur, quoniam, teſte Philoſopho, dubitare in ſingulis non erit inutile; & nunquam ſine diſceptatione res dubias credimus eluceſcere; ad indagandæ veritatis prælia tecum accingimur. quam nimirum, ſi quid Ariſtoteli deferimus, ſine diſputatione quærentes, haud immeritò comparabimus viris viam qua eant ignorantibus. Accedit & his

verus

verus fideliſque teſtis Hieronymus, ita contra Pelagianos ſcribens; Socraticorum ſchola, inquit, conſueuerat omnia adducere quæ dici poſſent ex vtraque parte; vt magis perſpicua fieret veritas. Sed & Sacri nobis Canones in his non minimè ſuffragantur; vbi legimus: Veritas ſæpius exagitata magis ſplendeſcit in lucem. Sicut enim in aquæ cyatho ſi guttam olei coniectam multum exagites, plurimos generat oculos: ita etiam variis quælibet res diſcuſſa altercationibus; oculatiorem ipſam efficit veritatem. Quapropter Scholaſticis permittitur quandoque ad ardentiſſimam vſque bilem diſputando contendere; vt vel ita rei veritas clarius eluceſcat. Sed iam in campum expedienda eſt acies. En acinace accingimur, ſepti armis, galeaque obtecti, haſtam in agrum coniecimus. Contortis vibranda eſt oratio iaculis. vt quacunque nudus fuerit hoſtis, feriatur. Igitur vt iam tandem ſtadium ingrediar; nihil ambiguitatis de Batauia noſtra tibi relictum eſſe, ſed omnifariam te noſtris aſtipulari ſententiis ſcribis. Porrò de Betua ſeu Batua, quam tu auctore Tacito Bethaſiam credis; nonnihil à me diſſentire videris. Amo in te, vt verum fatear, hanc incredibilem atque adeò accuratam

hiſtoricæ veritatis indaginem, & cumulatiſſimis vſquequaque eam extollere contendo præconiis; quá profectò non tuos modò labores, verumetiam mea ſtudia ab omnibus doctis & quidem beneuolis commendatum iri procuras. Hæc eſt nimirum veritas quam tota Philoſophorum academia quærit; quam præclara Theologorum ſchola inuenit; quam denique ſancta religio plenariè, atque adeò vna poſſidet. Morem itaque geram tuo, mi Reyneri, deſiderio; modò tu viciſſim memineris duplicato me fœnore remunerandum. Sed quò id facilius poſſis, imò vt voluptuoſius, & quidem ſine labore atque diſpendio velis; nulla re alia opus erit, quàm vt immortale hiſtoriarum tuarum opus in lucem edas, & noſtræ paruitatis opuſcula, quæ tenui confecta ſunt Minerua, ſed tuo amori ingenuè dicata, ſine faſtidio lectites; & in mutuæ charitatis argumentum ſine fine lecturias. Itaque vt ad rem nobis propoſitam demum pertingamus; breuiter dicimus; Neminem Latinorum qui Germaniæ deſcribunt hiſtorias, de Betua, aut (ſi qui malint) Batua feciſſe mentionem. Quapropter quæ olim de hac regione legimus, fideliter in medium proferemus. Cùm igitur antè duo luſtra

gemi-

geminaſque meſſes Parriſios reformationis gratia peteremus, Parlamentæa acciti auctoritate, & patrum præcepto emiſſi; intrauimus tandem obiter haud ignobile in Hannonia cœnobium monachorum. vbi mox ceteris comitum meorum ſeſe reficientibus, ſolus bibliothecam loci ab armario admiſſus conſcendens; inueni librum quendam pulueribus obſitum, & antiquiſſimo perſcriptum charactere, qui omnes Germaniæ Belgarumque hiſtorias continebat. In hoc quæ nunc de Betua, deque Bethaſia, & noſtra denique Batauia ſcripturus ſum legi & collegi. Nam ibidem ferè biduo propter aëris inclementiam hoſpitati ſumus. At de Betua primùm quid hîc legerim tibi literis mandare curabo. Igitur Agrippinenſium Vbiorumque eccleſia, ſuo ineuitabili fato priuata paſtore; cùm iam circumquaque Arriana peſtis immineret, prouiſum eſt Synodali Epiſcoporum Galliæ & Germaniæ concilio (cui tum maximè Martinus Turonenſis præſidebat) vt Seuerinum, ſeuerum hæreticorum in Aquitania oppugnatorem eidem præficerent. Qui patrum decreta humiliter ſuſcipiens, relicta protinus Burdegala Coloniam petit, vt munus ſibi ab Epiſcopis iniunctum ſagaciter

exequatur. Hunc non ita longo pòſt tempore, ſuorum quidam ex Aquitanica regione proceres ſunt conſequuti. Quibus vt apud ſe commanendi locum prouideret; orat Seuerinus Brabonem Caroli ſeptimi filium, Pepiniq́ue primi Brabantiæ Ducis auum, qui tum Gelriæ & Hasbaniæ præſidebat, vt ſuis cognatis ſedem alicubi ordinet. Qui, præſulis charitate deuictus, & gratia; inſulam Rheni in Gelria eis conceſſit, & ipſe in Landeno ſibi manſionem ſtatuit. Hi itaque proceres cùm terram ſibi à Brabone conceſſam viderent eſſe campeſtrem & planam, facileq́ue meabilem, Betuam ex ſitu loci vocitarunt. Betere enim veteres, benè & ſine moleſtia ire interpretantur. quemadmodum etiam vbi in regionibus intra Alpes & monticulos, terra occurrit plana & campeſtris, eam continuo Campaniam appellamus. Ita in diuinis reperitur ſcripturis, cùm Martyrum memoriæ recenſentur, Campania Galliæ, vbi Rhemorum ciuitas eſt, quæ Francorum reges ſacro initiat chriſmate; & Campania Italiæ quæ nunc Terra laboris dicitur: quod hæc quondam loca, circumiacentium comparatione, non montoſa, ſed æqualia & greſſu facilia, paſcendisq́ue pecoribus apta eſſe cogno-

Brabo.

Betua appellatio vnde fluxerit.

Campania.

cognoſcuntur. Quocirca multo omnium facillimè poſſumus colligere, nihil de Betua Romanos olim ſcriptores meminiſſe; quæ id ſibi nominis tum primum accepit, cùm Theodoſius minor rerum potiretur. Deinde ab ea tempeſtate, & Werenfridi temporibus, qui Catholicæ fidei radiis eam primus illuſtrauit, in hunc vſque diem apud nos idem perſeuerat nomen. Nihil tamen hæc Sicambrorum portio quantula eſt, cum Bethaſia, neque noſtra cum Batauià commune habet. Et quoniam horum procerum (quos Sancti Seuerini cognatos memorauimus) alij ſupernè, alij infernè morabantur: vno ſub nomine Betuam ſuperiorem & inferiorem diſtinguebant. Hanc in poſſeſſionem longo pòſt tempore tanquam hæreditaria ſucceſſione Walgerus princeps, & ipſe paterno genere Aquitanicus, cum Terſterbàdiæ comitatu, prope Tilam commorans acceperat; priuſquam frater ſuus iunior Theodericus, à Carolo Caluo Francorum rege, poſt Danorum incurſionem, Batauia, nunc Hollandia, donaretur. Hæc de Betua interim mi Reyneri tibi ſufficere credimus.

PORRO de Bethaſia, quæ priore libro Batauiæ gloriam tuentes ſcripſimus,

tu rariſſima habeto omnia; quoniam eodem ex fonte libroque memorato ea noſtris tibi verbis accuratè ſatis expreſſimus. Hæc

Bethaſia. enim Bethaſia Moſanorum eſt regio; cuius, vt ipſe noſti, meminit frequenter Tacitus. Hîc milites Romani ſuas ſtationes & hyberna agebant; quòd natio illa quaſi medius Germaniæ Galliæque ſinus videbatur; vt eò facilius Auſtraſiorum & Lingonum regna, quæ nûnc Lotharingos & Burgundiones complectuntur, in fide & officio retinerent. Hîc præterea, ne quid Imperiali deeſſet induſtriæ & commodo, Octauianus Imperator ſemper Auguſtus in honorem patris ſui,

Octauia vrbs. Octauiam vrbem haud procul à mari condidit, propter argenti fodinas in monte Voſago, ſaliſque fontes candidiſſimi. At mirum dictu, vbi tum mare propius affluebat; ibi nunc dum vorat & reuomit dira charybdis aquas, ampliſſimam plurimis paſſuum millibus continentem relinquit. vnde & nos verſus Septentrionem ſuis vorticibus acrius inuadit: tantaque facta eſt ab ea ætate vſque in præſens, locorum & fluminum, morumque & hominum apud Germanos, Belgas & Batauos immutatio, vt noua prope indigeant hiſtoria. Hactenus de Bethaſia. Porrò de noſtra Batauia ſatis

ſuper-

ſuperque in priore libro commentatum eſſe arbitror; vbi tamen (quod maximè dictum oportuit) præteriiſſe me recolo. Dum enim omnem atque adeò vnam in Bethauia deſcribenda intorqueo mentem; alterum Rheni curſum, (vt vel gemina eius brachia non prætermittam) quo ipſe in Fleuum tendit, non deſcripſi. Igitur quemadmodum, priuſquam Leidas ciuitatem Batauorum longè omnium ædificiis & moribus ornatiſſimam Rhenus ingreditur, bicornis eſt: ita gemino iuxta gurgite extra præfatam vrbem, relicto iam rure Lopſeno, prope ſui nominis Burgum, vbi nunc regalis ſacrarum virginũ eſt abbatia, ſeſe diſpartit. Altero, quo per vtroſque Catthos Oceanum petit; altero, quo Caninefates Friſioſque interluens, tandem propter Sancti Athelbarti regale monaſterium, ſupraq́ caſtrum, quod Rheni domum vetuſtas appellat, grandi ſinu in Fleuum vſque decurrit. In vtraque Rheni huius ripa, ab eo fermè loco, quo Catthos Rhenanos deſerens, verſus Subſolanum in præfatum vſque tendit procurſum, plurima olim viſebantur caſtella, villæ, pagiq́ue populoſi, domus voluptariæ, quas à volucrum circumſtrepentium garritu Auium concentus vocabant. hîc nemorenſes

Leida.

Rinſchem.

Vogheller ſanck.

renſes horti, delitiarumque monticuli, ſaltus innoxij, & omni ferarum genere offerti; fertiles agri & paluſtres, omnibus aucupiis, & leporum cuniculorumque venationibus aptiſſimi. Hîc lacus piſcoſi, & torrentes refrigeratorij; ita vt alteram terreſtrem non deſideres paradiſum. Hîc domus illa ſtabat tributaria, quam Danorum rex ſubactis ſibi Friſiis ibidem erexerat; in qua regalis quæſtor cenſum quotannis ad iactum ærei ſcuti exigebat. de qua Grammaticus Saxo miranda ponit in Hiſtoria ſua, quam De Geſtis Danorum accuratiſſimè edidit. Poſt hanc, lucus ſequebatur Baccho dicatus; vndique vitibus vlmoque conſitus. Eius loci incolæ, Bacchiades olim, nunc Herlemij vocitantur. gens dura, ſed æqui tenax; vbi adhuc noſtra tempeſtate, quum noua erigendarum ædium fundamenta effodiuntur; certiſſimè conſtat, ad humani penè femoris ſpiſſitudinem veterum radices vitium inueniri. His præterea prætoria accedit domus, & principale ciuilium cauſarum conſiſtorium. quod tandem Wilhelmus Romanorum rex deſignatus, & Comes noſter, in Hagam tranſtulit; erecto ibidem mira magnitudine & Imperiali quodam ſplendore palatio; in quo de patriæ cauſis & negotiis tracta-

Saxo Grāmaticus.

Wakeneſſers in Haerlem.

Curia Hollādia Harlemo Hagam tranſlata.

tractaretur; cuius laquearia & omnia tignorum ligna (mirabile viſu) neque caries aut putrilago corrodere, neque aranea ſuis fœdare telis cernitur. Huic in deſcenſu plurimæ adiacebant arces, domusque ſenatoriæ; quarum vel prima fuit Baronum de Lata virga; qui legitimam à primis Hollandiæ Comitibus progeniem ac ſtemmata ducunt; deinde dominorum de Velleſona & Beuereuico; militum de Hemerca vel Suthera; de Gaſtrico; de Limba; de Polanio; de Polenburgo, deque aliis plerisque (modò nobis ſine nominibus) caſtellis & mœnianis; quæ iam partim vetuſtas, partim edax flamma conſumpſit. Poſtremo Rhenus exinde progrediens, & prope Alcmariam reflexo curſu, Veronam verſus (olim ciuitatem Friſiorum maximam; ſed à Batauorum Comite ſolo potenter æquatam) ad Eurum vſque grandi lacu procurrit. Tandem circa arcem domumque ſuo illuſtrem nomine, & vetuſtiſſimorum dominorũ De Egmunda monimentum (qui de ipſo Rathbodo Friſonum rege trahunt originem) tutiſſimum aperiebat nauibus portum, quæ de mari appulſæ Batauos & Rhenanos ſuis cum mercibus adire cupiebant. In eum portum, primo Iuſtiniani Imperatoris anno, noſtræque

ſalutis

Breederoede.

Illuſtres familia Hollandia.

Alcmaria.

Verona.

Rinechem

Egmondanorum regia ſtirps.

ſalutis DCLXXXVII; Sanctus Wilfridus Lindisfarenſis Epiſcopus Romam iturus, flante Fauonio appulſus eſt; qui ab Aldegillo Friſiorum rege, patre Rathbodi, & omni populo honorificè receptus; primus in Friſia Chriſtum per hyemem totam prædicauit, & complures fonte abluit ſalutari. In hunc etiam, Anno DCXC; miſſus à S. Egberto Eboracenſi Archiepiſcopo Willebrordus; regnante in Anglia Catholico rege Alfrido, & præſule Coloniæ Alderoino, cum vndecim verbi Dei cooperatoribus, vt Friſiam conuerteret, appulit. Ab hoc denique portu Rhenus ampliore procurſu Herlingum pertranſiens, Fleuum vſq. Sceldingam ſancti Brandarij inſulam attingit. Ecce dum aliud ab Helino Rheni brachium (quod Fleuum dicunt) quærimus; forſitan opinione longius per varia terrarum ſpatia euagati ſumus. At nunc vel tandem ad propoſitas recurrat oratio quæſtiones.

NVPER igitur dum cœnobitæ & amico erroris præcipitium adimere cupimus; nonnullis & ipſi videmur erraſſe. Scripſimus enim (nec inficias ire volumus) noſtram ibi Batauiam incipere, non vbi Walis incipit, ſed potius vbi deſinit; aut certè vbi nomen ſuum perdit; id eſt, prope arcem quam noſtra

ſtra ætas Lodeſtenum vocat, haud longè ab oppido Goriceno. Et vt audentius aliquid, ſed non temerè efferamus; dum veluti ſub Dædalæo quodam typo noſtram Batauiam deſcribere, omnemque prorſus ambiguitatem explodere cupimus; tandem apertiſſimè profeſſi ſumus, non ibi noſtram initium ſumere Batauiam vbi Moſa (manufacto brachiolo aluei quo Romanis breuior è Bethaſia in Betuam & Nouiomagum Imperiale præſidium tranſitus eſſet) ipſum Walim influit; ſed vbi Walim Moſa excipit. At iſta mihi planè proferenti ſubſtomachantur forſitan viri haud vulgariter eruditi; quod Auguſto & Cæſari auſim contrauenire. Atqui Aurelius concertet Iulio? Ille (vt fortè lectitant) ibi dicit Batauiam incipere, vbi à Wali Moſa recipitur. Ego autem è regione; ibi noſtram profiteor Batauiam habere principium, vbi Walim Moſa excipit. Nam (vt verum fatear) plus equidem fidei noſtris adhibeo oculis, quàm Iulij Commentariis. Quis enim non videat iuxta Goricum (vbi noſtræ Batauiæ caput eſt) Walim à Moſa excipi; ſed minimè à Wali Moſam? quod & ipſe rerum vſus & natura nos docet. Omnis enim fluuius ſupernè deſcendens, ab eo qui infernè fluit, donec mare intrat, ritè Lodeſteyn

ritè excipitur. Quod ſi conuertere volueris, plurimum deſipies, & naturæ genium propè læſeris. Vtcunque tamen eſt; ego hanc ſcopuloſam cauillationem pili faciam, modò noſtram monſtrauero ibi incipere Batauiam, vbi Walis prope Goricum ſe Moſæ commiſcet; donec ſimul vel in Helinum vſque, quo Rhenus brachio multas complectitur inſulas, perpetuo meatu decurrant. Atque vtinam reſcire dignentur viri plurima lectione eruditi, ipſum in Commentariis Cæſarem, non vbique eſſe Cæſarem; hoc eſt, non vbique loqui vt Cæſarem. Plurimi enim eius Commentarij, qui olim marginibus à diuerſis inſcripti fuerant; nunc librariorum inſcitia, aut temeritate, in textum Cæſaris coaluerunt; ita vt plurima videamus Iulij Capitolini, aliorumque complurium commentatorum Iulio Cæſari falſiſſimè adſcribi. Porrò in vetuſtiſſimo codice Cæſaris qui in monaſterio regularium (quod olim Caſtrum Nantonis dicebatur) apud Puteolos & Aurelianum, qui ante mille & quinquaginta annos à Leone primo Romanorum Pontifice, cùm in minoribus ageret, ſcriptus perhibetur; ſic equidem ipſe legi; *A Moſa Walis receptus inſulam efficit Batauorum*; vbi per erroneam literarum tranſ-

tranſpoſitionẽ modò legimus; *Moſa à Wali receptus inſulã efficit Batauorum.* Hoc etiam inter receptiſſimos haud contemnendi teſtantur auctores, qui de Rheno celeberrimo Germaniæ fluuio ita ſcribunt; Rhenus multis, inquiunt, aſſumptis amnibus, Mæno ſcilicet, Limago, Moſella, Moſa, aliiſque, in Germanicum Oceanum duobus effunditur oſtiis, pluribus factis inſulis; quarum aliæ à Friſiis, aliæ à Sicambris, aliæ à Batauis, hodie Hollandis, incoluntur. quorum omnium nobiliſſimam Plinius atteſtatur inſulam Britannis oppoſitam. Quam nimirum Batauorum inſulam, Cæſar, inquiunt, in Commentariis, Moſam fluuium accepta Rheni parte, quæ Walis appellatur, efficere dicit. Hæc eadem cum pleriſque aliis in rem hanc atque ſententiam tranſeuntibus priore libro attulimus. Nec facilè quouis modo ab ea deflecti valeo; quam & oculi noſtri probabiliorem nobis faciunt; & caſtigatiores Cæſaris Commentarij veriorem approbant & defendunt. At de his hactenus. Nunc ad poſtremam eundum eſt quæſtionem.

SVNT etiam nonnulli quibus noſtra Batauia longè videtur anguſtior quàm vt Romanis tanta multitudine militare potuiſſet;

ideoq. ei Betuam tanquam ſuperiorem corrupto paululum nomine Batauiam adiungi oportere. Verumenimuerò hæc mihi narratio viſa eſt quaſi aquilæ iuuentus, quam nemo facilè comprehendit. At qui vel Thraſonis habet ſalem, hanc facilè ſoluerit quæſtionem; adeò digna res eſt vbi neruos intendam meos. O me ſcitum hominem, ſi vel homines prorſum ex ſtultis inſanos fecero; aut potius ita me comparem vt ſciolorum aculeos prudens perpetiar. qui, ſi veterum ſcriptores rerum oculatius inſpicere velint; inuenient proculdubio Batauos non numero ſed humero; non millibus, ſed viribus, non anulo ſed animo, non multitudine ſed virtute, non ſtrato ſchemate ſed ſtratogemate vbique gentium pro Romano certaſſe imperio. Cuius rei gratia quoties militum delectus apud principes Romanos fieret, Galliq́ue & Germani ex nomine, ſub certo citarentur ſalario; ſolis Batauis gloria & victoria ex virtute promittebatur. Hi enim duplici remunerabantur ſtipendio; & propter ſingulare, quo ceteris præſtabant, robur, ſpeciale præ aliis donatiuum, quantumq́ue volebant itineris & certaminis precium capiebant. Hos præterea C. Caligula electiſſimos ſui corporis habuit cuſtodes & ſtatio-

& ſtationarios; plus fidei noſtris quàm ſuis deferens. Cui etiam (quum in Britanniam tendere ſtatuiſſet) conſuluère ſui, vt Batauorum ante omnia numerum, & maximè equitum inſtauraret. Tanta quippe Romani Batauos æſtimabant fide, conſtantia & virtute; vt ſine illis nunquam auſpicari præſumpſerint bellum, neque vllam ſperare victoriam. His enim victoribus Hieroſolyma ſub Veſpaſiano ėſt exciſa; Italia Romanis reddita, Germania in fide & officio retenta; Anglia denique (quam ne ipſe quidem Iulius euincere potuit) àrmipotenter eſt Imperio ſubiugata. Quæ profectò omnia Batàui non populi multitudine, ſed animi virtute atque altitudine, audaciq; ferocia tanquam primipilares & Reipublicæ propugnatores perpetrarunt. Verùm vbi hæc virtus & audacia (vt plerunque fieri ſolet) inſolentiam Batauis augere cœpit: metuens Ordeonius Romani ductor exercitus ex iactantia ſeditionem inter legionarios cohorteſque poſſe ſuboriri; aut certè iam iamque apud Auguſtam Taurinorum exortam volens reprimere; decreuit Batauos, quos tum belli fortuna petulantiores effecerat, in Britanniam, vnde à Nerone exciti erant, ocyus remitti. At ille mox pœnitentia ductus, &

diſſuadentibus iis qui paulò antè ſuaſerant; quòd interim viderent Batauorum cohortes vnà tendere ob veterem aduerſus quartadecimanos diſcordiam; inferioremque Germaniam (vt Ciuili iungerentur) expetere: ſcripſit Herennio Gallo legionis primæ legato, qui tum Bonnam obtinebat, vt Batauos tranſitu arceret; ſeſe cum exercitu ſequuturum, tergiſq; eorum acriter hæſurum. Bataui igitur dum caſtris Bonnenſibus propinquarent, præmiſere qui Herennio Gallo mandata cohortium exponerent: nullum ſibi bellum aduerſus Romanos eſſe, pro quibus toties bellaſſent. Longa duntaxat atque irrita militia feſſis, patriæ & otij cupidinem eſſe. Si nemo obſiſteret, innoxium fore iter. Sin minus, ferro viam ſe facturos. At principium interno ſimul externoque bello parantibus fatis; Herennius ſuperbia elatus, eis cum ſuis armatus hoſtiliter congredi parat. Interea Bataui ordinata acie in vnum veluti apes globum confluentes, hoſtem conſtanter excipere, admiſſis equis haud ſegniter concurrere, & collatis ſignis Bonnenſium aciem conturbare, conſtringere, perſequi, profligare, occidere, magnamque ſtragem facere: ita vt etiam foſſata Bonnæ corporibus mortuorum opplerentur; qui

metu

metu perſequentium Batauorum ſe ſponte immerſerant, quòd portis recipi præ multitudine non potuêre. Tantam tamque memorabilem multorum millium ſtragem, quos Herennius Gallus eduxerat, tribus circiter millibus Bataui confecere. Hæc dicimus, vt omnibus ſcrupuloſis innoteſcat, noſtrates non millium pluralitate, ſed militum alacritate, induſtria & virtute congredi ſolere. Quapropter nemo omnium Betuam quaſi infracto nomine Bataviam ſuperiorem, noſtræ pergat addere Batauiæ; vt vel exinde maiore gaudeat numero pugnatorum; quæ nunquam Betuanos, ſed longè viciniores ſibi Caninefates & Friſios, ſuæ frequenter adſciſcere ſolebat militiæ. quorum dux Brenno vir magnæ audaciæ, & claritate natalium conſpicua, Ciuili ſe iungens, olim Romanorum caſtra diripuit, lixaſque eorum & negotiatores inuaſit, duarumque cohortiũ hiberna proximo Oceano irrupit. Quin potius ſæpiſſimè legimus noſtrates magis Britannica inuocaſſe auxilia, quàm Betuana. Sed nec opus quidem erat. Nónne certiſſimò conſtat Comites noſtros è ſola Batauia noſtra, & minore Friſia (nunc ſimul Hollandiam ferunt) centena expeditorum millia in hoſtem ſæpius eduxiſſe? Nihil igi-

tur vnquam Batauis cum Betuanis ſiue Sicambris commercij aut præſidij fuit. quos magis Gallis aduerſus Cæſarem, quàm noſtratibus ſuppetias miſiſſe legimus; & propterea Iulium in eos mouiſſe; vt Romani nominis metu ac terrore quietos redderet Germanos. Sed quum illi ad primum nuntium in ſyluas ſe occulerent, Cæſarem accenſis eorum agris ad Vbios ſe retuliſſe. Tradit præterea Strabo, Sicambros Rheni accolas initia belli factitaſſe; quod à pleriſque Germaniæ populis aduerſum Druſum Liuiæ Auguſtæ filium duce Molone Sicambro geſtum eſt. Ex his & horum ſimilibus pro confeſſo breuiter colligi poteſt, Gelros (ſiue Betuanos, ſiue Sicambros dixeris) ſemper ad hunc vſque diem Romanis infeſtos, & Gallis ſemper fuiſſe obnoxios; ſed nobis quàm maximè aduerſantes.

Habes vel tandem mi Reyneri, omnium quos antehac vidimus candidiſſime, & præter ſummam Medicæ artis notionem, haud vulgariter, & non ſine plurimorum ſtupore in humanitatis ſtudiis erudite: habes, inquam, hîc verum noſtræ Batauiæ initium ibi proculdubio conſiſtere, vbi Moſam non Walis, ſed vbi Walim Moſa prope Goricum excipit. Habes præterea abundè oſtenſum

ſum

ſum Betuæ nomen recentioris eſſe ætatis; cuius nemo veterum Romanorum meminit, & quæ longè à Bethaſia diſcrepet, quam ſæpius vetuſti ſcriptores memorant. Habes poſtremò noſtram Batauiam minimè contractiorem eſſe quàm vt Romani Principes eam tanta fuerint dignati veneratione, ſuoque ſatellitio & mutua fraternitate, quæ vtique omnium inſularum Rheni facilè nobiliſſima, mittebat Imperio viros etſi impari forſan numero, virtute tamen & fide omnium aliarum gentium præſtantiſſimos. Verùm vnde & quando hæc Romanorum & Batauorum charitas & mutui amoris perpetuum fœdus originem habuerit; & vt longè ante Cæſaris tempora coaluerit; aliâs apertiùs *referemus.

** In III. cap. libri quo De gloria & miſeria ſeptem artium liberalium agit, & Theologiã omnium facilè principem ſtatuit.*

De inſularis noſtræ Batauiæ felicitate, cultu, deliciis & commerciis; quibus (veluti quoddam Orbis emporium) omnibus notiſſima eſt.

DE inſulæ Batauinæ cultu, felicitate & commerciis loquuturus; quoniam proprio laus ſordet in ore; nec quiſquam ſui ſuorumque teſtis legitimus perhibetur, in medium adducam virum mira ingenij dexteritate præditum, patria Mediolanenſem,

arte Medicum, nomine Aloyſium Marlianum. Is pro confeſſo Batauiam aſſerens Hollandiam; in quadam Epiſtola D. Hierónymo Buſlidiano, Arrienſi præpoſito eleganti ſſimè ſcripta, mihiq́ue per noſtrum Martinum Dorpium Theologum, virum omnium qui in humanis agunt longè candidiſſimum & iuxtà eruditiſſimum pridem tranſmiſſa, Batauiæ noſtræ præconia accuratiſſimè decantat. cuius Epiſtolæ vtpote lectu digniſſimæ ne fragmentum aliquod Lectoribus obiiciam, totum exemplar adſcribam.

Aloyſius Marlianus D. Hieronymo Buſlidiano Arrienſi præpoſito Salutem.

RECTE feceris, mi Buſlidiane, ſi meam ſolitudinem & raram cum amicis cœnandi conſuetudinem in bonam accipies partem; naturæq́ue id meæ dederis aut fortunæ. Naturæ, quæ vſque ab incunabulis ita me inſtituit, vt ſtudiis potiſſimùm delecter meis, neque maiorem vllam iacturam putem quàm temporis: Fortunæ, quæ me adeò per vltima quæque exercuit, vt tandem ſatis latêre mihi non videar, ſi etiam intra me ipſum latuero. Contineo igitur me apud me, & mihi viuo, cum veteribuſq́ue

amicis,

amicis, hoc eſt cum libris, quotidie magis in gratiam redeo; ex quibus non mediocrem fructum percipio, quum præteritæ fortunæ ſolamen, præſentis conſilium, & futuræ remedium libri afferant, doceantq; non magis me lætæ nunc fortunæ credere, quàm docuerunt aduerſam æquo animo ferre. His ſtudiis, his amicis delector, mi Buſlidiane, qui me apud te minimè ambitioſè excuſant. Caue autem poſthac ea vti mecum ironia, dum exoletas & immundas cœnas veſtras narras. Iamdudum profectò ad Rhenum & Moſam Syrus Orontes decurrit; tantaque facta eſt ciuitatum, hominum & morum immutatio apud Germanos, Belgas & Batauos, vt noua hiſtoria indigeant. Quo fit, vt cùm hæc mecum repeto, & cùm præteritis præſentia confero, adducar Aſtronomis credere, Æthiopiam apud vos quandoque futuram. Quò enim priſci illi mores Germani & Belgæ? quò ardua & tetrica illa virtus, quæ mercatores vinum, nec aliud quicquam quod viriles eorũ animos emollire poſſet, importare prohibebant, iuere? Tacitè in Galliam Belgicam & Germaniam commercio omnium gentium diuitiæ irrepſere. applaudente Germanis grauidis metallo, montibus natura, & vtriſque Rheno

Moſa & Oceano, continuatoque ſibi nauigatione penè toto orbe Europa, Aſia, nuper Aphris & Indis commercio domeſticis factis, orbis emporium & penè vmbilicus facta eſt terrarum Gallia Belgica. cum diuitiis & regina pecunia, omnes gratiæ ac veneres pleno copiæ cornu venêre in felicem Belgicam; cui nihil prorſus ad ſummam felicitatem deeſt, ſi non priſca virtus cum paupertate emigrauit. Nitidi idcirco mundique & elegantes ſunt Belgæ, ſi omnibus conferas, præterquam Batauis. Ego enim eam inſulam ſatis admirari non poſſum; ſiue rerum nouitate, ſiue pulcritudine, ſiue omnium rerum felicitate. Quid enim nouum magis, quàm videre Oceanum cum terris luctantem? terraſque ſolo paleæ intextæ & nodatæ ſcuto contra Oceanum tutas & victrices? Quid ventos, dum rotas agunt flatu ſuo cum aquis quotidie pugnantes, & quò velint aquas deriuatas? Quid denique admirabilius videri poteſt, quàm vno gelu totam concretam hyeme inſulam cernere? vltroque citroque huc illuc virorum, fœminarum, puerorumque examina ferreis neſcio quibuſdam pedibus tam rapidè ferri, vt multos Icaros volantes putes & Dædalos? Redeunte autem anno, & apparente vere,

quid

quid eſt ea inſula formoſius, quid viridius, quid herboſius,quid denique floridius? Spirant vndique opobalſama venti; prata habent paſcua, nemora, campos: tenent armenta prata; paſcua nemora; feræ ſyluas; lætæ & luxuriantes ſegetes campos. Complet autem cælum vndique omnigenûm auium concentus. Scatet enim omnium auium genere, quas aut tellus pariat, aut aqua nutriat. Hæc felix inſula, cùm ad ciuitates peruentum eſt (libet ciuitates, non oppida appellare) offert ſe oculis tanta elegantia, vt ſit non minus difficile, quò male diuertas quærere, quàm facilè fortuitũ & optimum hoſpitium inuenire. Immundi quicquam importari vetat ianitor, aſperſo ſabulo veſtibulo. Intus omnia ſunt ſummè elegantia. Muri tabulati ex ligno quod ſponte fluctuantis maris vndas æmulatur, veſtiuntur. Supellex ingens. argenti, æris, metalli, tapetis & picti eſt plurimum Lineæ telæ niues candore vincentes pluſquam dici poteſt. Vis dicam vno verbo elegantiam omnium? Expuendi locus non datur. Vnde ſæpe mecum cùm in ea inſula eſſem egi, natam ibi eam anilem fabulam: Cùm duo amici cœnarent loco tam picto vt nefas videretur ſputo aliquam particulam obtinere, in malefa-

ctam ſocij faciem, natura fortè ſomniante dum eam faceret, expuiſſe. Vnde commoto altero, Parce inquit, reſpondiſſe, Amice nihil facie tua turpius hoc in loco obuium oculis meis fuit. Eſt præterea nihil vſquam quo humana vita carere non debeat præſtantius quàm ibi. Mirum eſt, quicquid beata hæc inſula parit tam pulchrum eſt, vt matre Venere editum putetur. Dij boni, quales homines, quales fœminas, quos equos, quæ cetera armenta, quæ pecora parit! vltrà verò mirari hanc ſoli felicitatem, accedit quòd cumulatiorem fortunam faciat copia roſtratarum nauium tanta, vt penè Germanici, Britannici, & Gallici Oceani domina dicatur. quibus ad aſſidua quæ cum omnibus gentibus exercet commercia vtitur. Inſuper tanta eſt lanificij cura, vt ambigere quiſquam poſſit, dicatam ne putet Mineruæ hanc inſulam, an Veneri? Lineæ autem precioſæ telæ Ochemeniis telis prælatæ ſummum eſt pretium. Et ne terrarum benignitati & ſummæ arti mare cedere videatur, tam piſcoſum & beatum eſt, vt piſcando Batauі plus argenti & auri venentur, quàm extremis laboribus alij effodiant. Ad ſummum delectantis eſt opus naturæ, & vt poëtæ ferunt Dædalea eſt hæc inſignis Batauorum

tauorum inſula. quæ ſi ea forma priſcis temporibus fuiſſet, amplam fabulæ materiam dediſſet. Hanc profectò poſthabita Cypro, Gnido,Papho,Cytherea Venus incoluiſſet. Sed quorſum feror? quid inſanio? Noctuam Athenis oſtendo, dum tibi Galliam Belgicam & Batauorum inſulam pingo. Verùm non inſanio, non caſu ſed conſilio ad hæc litora delatus ſum. Accuratiùs hæc percurri, ne poſthac ironica nominis tui figura in nos feraris, dum veſtris plus æquo detrahis, & Italis noſtris eâdem figura plus æquo tribuis. Niſi ſemper velis nos irridere, & in Italicum fletum irrumpere; nobiſque exprobras quòd Troës fuimus. fuimus equidem Troës; nec eſt quicquam quod fortè nos futuros prohibeat. Petis à me, vt tibi Hiſtoriæ meæ copiam faciam. Mihi autem tantum otij nunquam fuit, vt poſſem hiſtoriam conari. Dices inquam, Ne vixiſti. Vixi equidem. Scripſiſtine? Scripſi. Cur non edis? Non eadem eſt ratio ſcribendi & edendi. Scribere quocunque tempore poſſumus; edere autem niſi oportunè. Accedit, difficilius eſſe emiſſam rem reuocare, quàm edere. Victus tamen tuo iudicio, breui ad te ſtudiorum meorum deguſtationem mittam. Sed caue ne te requiſiti officij

officij, & contra me ſuſcepti negotij pœniteat. Vale.

Iſte Aloyſius eſt Mediolanenſis patria, Medicus primarius Caroli principis noſtri, reſidens Mechliniæ. Hieronymus Buſlidianus patria Lucemburgenſis, præpoſitus Arienſis in Artheſia, & frater quondam Domini Franciſci Buſlidiani archiepiſcopi Biſuntini, primarij rectoris Philippi regis Caſtellæ, &c.

HÆC Marlianus ſuo præſtantiſſimo candore & ingenio. Quid ſi iſtis addere pergam plurima Batauiæ noſtræ commoda & delitias, quæ eius perpetuam, vt ita loquar, demonſtrent beatitudinem? Habet enim in primis mare portuoſum, omnibus finitimis apertum & expoſitum; monticulos obherbeſcenti viriditate amœniſſimos; valles & paluſtria feris ſylueſtribus refertiſſima; campos & ſaltus omnigeno pecore locupletiſſimos; Lucellos permeabiles & innoxios; nemora quoque omnis pro tempore amœnitatis & gaudij plena, vmbriſque opacis delectabilia; quas ne ipſæ quidem Gratiæ deſiderent denſiores. Lacunas inſuper & ſtagna admodum piſcoſa. Flumina ſuo fluxu & refluxu colonis omnibus accommodatiſſima. agros frugum omnium fertiles

fertiles: ſed tamen ſpacio breuiores, quàm vt ſuum expaſcant poſſeſſorem. Sed ſi quid minus eſt tritici aut vini; hoc noſtra nobis argenti copia abundantiſſimè ex omni natione ſubminiſtrat. Poſtremò ciuitates habet cõplures opulentas, mœnibus & ædificiis permagnificas; pagoſque & villas innumerabiles. Vias negotiatoribus tutas, & propemodum expoſitas; ita vt ſine mora, quò velis, ſiue rhedis, ſiue remis ocyus peruenias. Dent ſuperi, vt de hac felici patria ad patriam æternæ claritatis pertingamus.

His quæ de Batauia noſtra ſcripſimus, aſtipulatur validiſſimè noſter Eraſmus vnicum Germaniæ lumen; ita, inquiens in Epiſtola quadam:

CONVENIT inter pleroſque doctos, nec id refragantibus coniecturis, eam inſulam, cuius Tacitus meminit, eſſe quam nunc Hollandiam vocãt; terram mihi ſemper & celebrandam & venerandam; vt cui vitæ huius initium debeam. Atque vtinam illi nos tam poſſimus honeſtamento viciſſim eſſe, quàm illa nobis non eſt pœnitenda, &c. In Adagio Auris Bataua.

Hæc noſter Eraſmus, ſimulatq; hunc noſtrum legerat codicillum.

CORNE-

CORNELIVS AVRELIVS, AD SVAM BATAVIAM.

PLAVDE tibi nitidis ſuffulta Batauia fatis,
Et varia ſuperûm dote ſuperba, cane.
Vix locus in mundo eſt, quem non tua gloria tangat,
Roma tua extollit prælia, & Orbis herus.
Auſoniis hoſtes adimis; Hieroſolyma per te
Exciſa eſt; Anglos te duce Cæſar habet.
Germanos placido Gallóſque fauore tenebas
Sub fidei officio Romulidúmque iugo.
Te Bonna agnouit, Damiata ſtupeſcit, Arábſque,
Et Tarteſſiaci fortia regna ſoli.
At quum tanta potes terráque marique, dolendum eſt
Vt minuat laudem Gelria ſola tuam.
Ergóne viſa tui eſt ſecordia tanta Senatus,
Robur vt antiquum fluxerit omne tibi?
Eloquar; atque vtinam patriæ ſim falſus aruſpex,
Concidis ipſa tuis, ô mea terra, bonis.
Auro animum perdis, quem ferro atque enſe fouebas,
Tunc aderant vires; nunc gula abegit eas.
(Proh ſcelus) ingluuies, turpis Venus, asq; ſuperbum,
Ambitióque furens abſtulit omne decus.
Ah tandem reſipiſce precor, pudeátque malorum,
Priſtinus vt redeat cum pietate vigor.

Aurelius ad ſuam Batauiam.

Dulce ſolum natale Vale. tua prælia geſſi,
Nunc galeam abiicio. Quiſquis amicus, ouet.

NOBILI

NOBILI ET INGENVO VIRO, ICHANNI DE HEEMSTEDE, DOMINO LIESVELDIAE, CORNELIVS AVRELIVS S. D.

LAVRVS quam mihi Imperator Maximilianus per oratorem ſuum, Vatemque clariſſimum Stephanum de Cracouia, Iohannes vir nobilis & ingenue, ex domo tua Lieſveldiana olim miſit; meritò mihi perſuadet, vt ſi quid mea vnquam valebit poëſis, tibi libenter communicem. Æquum enim eſt & rationi conſentaneum, vt ei minimè deſim, ex cuius dominio noſtræ militiæ auctoramentum nobis eſt tranſmiſſum. Noſtræ, inquam, militiæ, qua longè excellentius militamus terræ principibus, noſtris carminibus & laudibus, quàm potentiſſimi milites ſuis enſibus. Hi illis duntaxat perituram adferunt victoriam; nos illis æternam conflamus memoriam. Quamobrem prioris ſeculi principes, præclaros ſecum ad prælia ducebant poëtas, qui egregia ipſorum facinora inter tubarum clangores armorumque ſtrepitus conſcriberent; ne cùm tempore laberentur, quæ in tempore fiunt; ſed potius immortalitati redderentur, quam neq.

ætas

ætas neque fatum conſumere poteſt. Quoniam igitur par & iuſtum eſt, vt tibi omne id acceptum referam quidquid mihi honoris è palatio tuo per Cæſarem, quum ibidem hoſpitaretur, acceſſit: interea dum meritum carmen tibi concinno, hunc exiguum libellũ tuo nomini peculiariter dicaui. quem tibi haud parum profuturum confido, qui plurimam habes familiam; vt cognoſcas quid tibi foris, quid domi ſit agendum.

Et quoniam diuerſæ ſunt hominibus viæ (nam hunc pecuniis & opibus ſtudere videmus; illum ambitioni & potentiæ; alium voluptatibus omni cum diligentia inſeruire) ad Apoſtolicæ vitæ tramitem te greſſus figere cupimus. Quod ſi feceris; nihil tibi ad bene beateque viuendum poterit deeſſe. Tota enim Chriſti vita quam Apoſtoli nos docuere, vnicum eſt ad veram beatitudinem iter. Hanc profectò ſi perfectè aſpicimus & imitari volumus; non erit cur Numæ Pompilij religionem, Scipionis pietatem, modeſtiam & fortitudinem Catonis, Reguli conſtantiam, Ariſtidis iuſtitiam, Fabricij & Curij paupertatem, ſapientiam Socratis, Lælij clementiam, & Cæſaris benignitatem requiramus. Nihil enim (vt verum fatear) excogitari poteſt ad benè beateque

teq́; viuendum, quod non in Chriſti Euangeliis, vtpote diuinitus ſcriptis, melius & ſalubrius quàm in profanis literis inueniatur. Delicatus ſiquidem & ſuauis eſt cibus & virtuoſus qui ex ſacrarum lectione ſcripturarum percipitur. Vnde Dominus ad Sathanam dicit; Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei; ſiue humana, ſiue diuina contemplari velis. Sed quoniam plerumque fit in ſtudiis literarum, quod in cibo ſolet, vt delectetur guſtus epularum varietate: omnia Gentilium ſcripta veluti pro ſecunda menſa tibi interdum, non ſecus atque bellaria apponi non prohibeam. vt quadam rerum viciſſitudine tuus delectetur animus & permulceatur. At inter omnia tibi adnitēdum eſt ne vnquam otio torpeas. Non enim ad ſegnitiem & deſidiam naſcimur, ſed ad maximarum rerum atque admirabilium cognitionem. Nam ea demum ratione anima corpori inſita eſt, vt cum eo veluti cane venatico difficilium notitiam & virtutes venetur. Quare nunquam moleſtè quæſo tuleris, ſtudiorum cultu corpus eneruari; modò mente ac animo ad contemnendam mortem, ad tolerandos dolores, ad ferendas æquo animo calamitates & temporum anguſtias, quæ humanum ge-

nus in dies fatigant,conſtans reddaris ac ſtrenuus; ita vt neque minis, neque pollicitationibus, neque blanditiis vnquam adduci poſſis, vt à recto ac honeſto diſcedas. Pleni ſunt libri maiorum exemplis,quibus profectò ita ad virtutem inciteris,vt iam maiora tibi calcaria non deſideres, nedum habere poſſis. Quapropter iniunctam Adæ pœnitentiam ſalubriter obibis(ná otia ſi tollas periere Cupidinis arcus) ſi nunc (vbi poſt diuina licebit , & tuarum rerum negotia) ad pilam, nunc ad diſcum, nunc ad arcum & ſagittam te exercitaueris,non alicuius lucri aut temporalis commodi gratia, ſed conſeruandæ intuitu ſanitatis. Ad labores enim, mi here, non ad delitias naſcimur omnes. In vitam nanq. præſentem veluti in theatrum quoddam deſcendimus, & arenam; vbi nobis continuè cum Hercule contra Antheum , aliaque vitiorum monſtra luctandum eſt: nec aliquid de virtute remittendum, ſi gloriam & præmia cupimus, quæ nobis interim vitam comparēt ſempiternam. Plurimi ſunt certè nobis circumquaque hoſtes, innumeri latrones, multique graſſatores. quibus certè omnibus ea profectò mente obuiam eſt eundum, vt magis cupias fortiter mori, quàm vel ignauiæ vel deſperationi cedere.

Propterea

Propterea leguntur in hiſtoriis, quinimo & in atriis atq. ſcenis recitantur Iaſon & Theſeus ſibi periculoſos in vita labores delegiſſe, quibus nimirum bene de humano genere meriti gloriæ conſulerent ſuæ. Ita & nobis virtutum ſtudiis eſt inſiſtendum, quibus præmium non fragile & caducum, ſed immortale atq. perpetuum apud Altiſſimum iam reſeruatur. Canere præterea fidibus carmina ipſo in bello poëtæ ſolebant, quo animos militum audita maiorum laude ad bene de patria promerendum adhortarentur. Ea etiam de re annales & hiſtoriæ diligenter aſſeruantur; vt habeant reges & populi vnde calcaria ad virtutem & ad fortiter agendum ſumant; ne æſtu & frigore, ne vigiliâ & labore, ne fame & ſiti perterriti, rebus ſuis publicis in grauibus periculis aut deeſſe, aut minus conſulere videantur. Quem enim, obſecro, animum, (vt omiſſis veteribus ad noſtros veniam) non excitat ad virtutem Apoſtolorum penuria, martyrum conſtantia, Confeſſorum ſobrietas, & caſtitas virginum? Quicunque igitur horum prouocatus exemplis, vitiorum agmina, gulæ ſcilicet, faſtus, & iræ, luxus & auaritiæ in nos continuò irruentia, conſtanter propulſat, quique animi paſſiones, ſpem, metum,

triſtitiam, inanemque lætitiam à ſe, ne dominentur, procul repellit; is propè Deo ſimilis, quoad fieri poteſt, prorſus euadit. Ad hoc enim nos literis & philoſophiæ addicimus; vt conſtanter & cum virtute per ſanctorum exempla viuere diſcamus. Vt enim ad ſananda ægrotantium corpora inuentam nouimus Medicinam: ita & diuinarum humanarumque rerum præcepta, quæ nobis à Chriſto & viris apoſtolicis tradita ſunt, animorum noſtrorum morbis ac perturbationibus mederi facilè præualent. Hæc quippe Domini noſtri philoſophia, eſt vnica omnium mater & altrix artium, & præcipuum, iuxta Platonem, Dei donum, electaque animi cultura, quæ vitia è mentibus hominum radicitus euellit, & omnes actus humanos ad bonorum habitus præparat. Nempe vt ager ſine cultura vepribus ſyluescit & infructuoſus eſt: ita & ſine doctrina ac literarum ſtudio animus. His enim laborem impendere, ſanè quàm & liberale eſt, & libero homine dignum. Cetera verò ſtudia, & puſilla & prope puerilia nobis videri debent. Euangelica ſiquidem lectio, bonorum malorumque delectum præſtat; hæc Chriſti exemplo ſuperbum eſſe vetat, auarum, procacem, intemperantem, contumacem,

perfidum

perfidum & mendacem. Præterea pietatem docet & religionem, gratiam, humanitatem, miſericordiam, hoſpitalitatem; virtutem denique omnem, & quid quouis in tempore ſit agendum; quáve ratione futuris præterita ſint annectenda; nec non quæcunque vera, quæcunque pudica, quæcunque iuſta, quæcunque ſancta ſunt; quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ in Chriſti Euangelio ſacriſque codicibus inuenitur. Porrò quanquam hominem quatuor ex elementis conſtare nemo eſt qui ambigat; tamen niſi quintam ei adieceris eſſentiam (intellectum dico) prorſus à beſtiis diſtabit nihil; nec meritò dignus eſt vt homo appelletur. Quatuor enim illa quæ diximus, ſunt nobis certè cum omnibus beſtiis communia. hoc autem ſolo quo intelligimus, ratiocinamur, ſeu rerum anteceſſiones ac progreſſus non ignoramus, ab iiſdem dumtaxat differimus: iam propemodum ſeparatis eſſentiis catenus facti perſimiles, quatenus nobis per naturæ imbecillitatem licere videtur. Igitur ſi tanti eſt ſapere (nam quod viuis, natura; quod bene viuis, ſcientia tibi præſtat) ſummopere tibi aduigilandum, mi here, vt diuinis te occupes literis, omnemque inertiam tamquam

humani generis perniciem aſſiduê fugias. Quare velim, vbi poſt curam licebit domeſticam, Euangelium Chriſti, & Apoſtolorum epiſtolæ verſentur in manu; Pſalterium & Cantica Dauid fidelia ruminentur in pectore. Hæc omnia procul dubio longè ſuperant Philoſophorum documenta; hæc quæ ſalutis ſunt, edocent, mores componunt, errores caſtigant, & in viam rectam qua in patriam tenditur, hominem deducunt. At verò, quod magnopere deflendum eſt, vbique nobis hoc vſu venire ſolet, vt magis leuibus quàm ſeriis inſiſtamus rebus. Euangelium Chriſti, etſi adeſt, vix tamen euoluitur: imò iam ipſe codex longo ſitu obuolutus negligitur. Proh dolor! Legimus Alexandrum Macedonum regem, imò totius orbis imperatorem, quum inter ſpolia Darij & theſauros, quem regno priuarat & vita, ciſtella quædam precioſiſſima ei offerretur, & complures qui tum aderant principes dicerent eam ad ſeruandas ſmaragdos ſaphiroſque aptiſſimam; mox illum reſpondiſſe; nihil in ea commodius & honeſtius reponendum, quàm Homeri Iliadem. Si igitur tantus rex tanti æſtimauit viri gentilis carmina, quòd ex eis multa perciperet quæ bellicam iuuarent virtutem; quum

Achillis,

Achillis, Agamemnonis, Hectoris, Neſtoris, Vlyſſis, ceterorumque heroum res ſapientiſſimè geſtas ad imitandum legeret: quanta nos Chriſtiani cum reuerentia Chriſti verba legere, & lecta in opera vertere debemus? Hic eſt liber Euangelij, per quem Barnabas Apoſtolus mortuos ſuſcitauit, dæmones expulit, morbos curauit, fulmina contriuit. Hic liber quadruplices habet literas. Aureæ quidem ſunt cæleſtium rerum cum terrenis affinia & comparationes. Rubeæ, paſſionis Chriſti myſteria & lectiones. Nigræ, pœnarum inferni ſupplicia & comminationes. Albæ verò ſunt pœnitentium remedia & conſolationes. Hic eſt, inquam, liber de quo apud Ezechielem Prophetam ita legimus: Ecce manus miſſa ad me, in qua erat liber inuolutus, ſcriptus intus & foris. Et ſcriptæ erant in eo lamentationes, & carmen, & væ. Manus iſta, mi here ſuauiſſime, vniuerſitatem illorum qui ſacræ ſcripturæ librum, id eſt, Vetus & Nouum teſtamentum conſcripsêre, ſignificat. Præterea manus iſta quinque habet digitos, hoc eſt, quinque perſonarum genera; Patriarchas ſcilicet & Iudices, Prophetas, Apoſtolos, & Euangeliſtas. Inter horum digitos eſt liber iſte inuolutus, multiſque myſteriis

 implicatus.

implicatus. intus habens myſticorum ſcripturam; foris autem ſimplicem rerum geſtarum hiſtoriam; continet lamentationes pœnitentium peccatorum, carmen triumphantium beatorum, & Væ deſperantium damnatorum. Hunc librum tu cum Propheta comede, & fiet in ore tuo ſicut mel dulcis. Aperi os tuum, & cibabit te Dominus volumine iſto; qui te tuoſque omnes cuſtodiat ſemper & conſeruet ab omni malo. Vale. Tuus Aurelius. In agro Dunceno.

ILLVSTRI

ILLVSTRI AC GENEROSO COMITI AC DOMINO, HENRICO COMITI A NASSAV, SER^mi. *ac potentiſsimi Caroli Regis Catholici in Hollandia vicario*, CORN. AVRELIVS, S. D.

*

Deeſt principium.

ET quid interim oculos huc illucque vertimus? quandiu inter ſacrum & ſaxum hæremus? Cur vltrò noſtram profiteri differimus inſufficientiam? Si enim omnia quæ mundus habet precioſa tibi Comes inclyte offerēdi nobis adeſſet facultas; longè tamen inferiora tuis in nos meritis meritò cenſerentur. Tanta enim nobis & Patriæ præſtitiſti, vt ſi totum vitæ noſtræ tempus in tua occuparetur obſequia, non poſſemus cum ſancto illo Iob in ſua reſtituto, vel vno pro mille reſpondere, neque in eo quod tibi debemus par pari referre, neque in minimo compenſare. At plurimum nos interea conſolatur Aurelius Auguſtinus pater noſter, noſtræque militiæ princeps, qui planè confitetur, numquam ante Opt. Max. Dei oculos vacuam eſſe manum à munere, ſi circa pectoris ſedem repleta eſt bona voluntate. Ergóne debemus omittere quod poſſumus;

 quando-

quandoquidem id quod debemus minimè poſſumus? Abſit. Nobis enim piiſſimum ſaltem affectum, & locupletiſſimam voluntatem, dum res non ſuppetunt, conuenit aperire. Virtutem itaque tuam & meritum, Generoſe Comes, prædicare quidem atque extollere, ſed nulla rerum facultate poſſumus remunerare. Quapropter quod manus noſtra minimè præualet, ipſum certè oris noſtri officium offerre non prætermittet. Dignum eſt enim & rationi conſentaneum, vt vel ex fructu laborum ipſe laudem accipiat, quem rerum geſtarum dignitas cunctis commendat. Moderatrix quippe omnium rerum cenſuit antiquitas, vt dignum laboris ſui precium accipiat, qui publicis vtilitatibus inſeruire non detrectat. Paramus itaque virtuti tuæ quantum maximè poſſumus; daturi amplius ſi potuiſſemus. non vtique iſta temporalia, quæ temporis morbo deficiunt; ſed ære perennius monimētum, quod nulla vnquam obliteret ætas, nullus abſorbeat ignis, nullum denique ſeculum abſumat. Quocirca ne nihil pro noſtra tenuitate tam fideli patrono & conſeruatori noſtro dediſſe videamur: offerimus tibi, magnifice Comes, hoc tenue carmen tuo dicatum nomini, quod te apud poſteros immortalem prope efficiat.

efficiat. cui profectò Ægypti pyramides, Apellis tabulæ, & Lyſippi marmora facilè cogantur cedere. Omnia quippe ſtemmata, ceras & imagines, inciſoſq. in æs titulos producta annorum ſeries obiter demolitur. Sola ſcriptorũ monimenta, ipſa etiam ætate, quæ ſuo morbo omnia debilitat, fortius inualeſcunt. Nec mirum cuipiam videri debet, vel tantillo te à nobis remunerari beneficio, cui etiam & nos & omnia noſtra meritò debemus. Nam quòd cõmodum viuimus, quòd rem domeſticam familiaremque ſaluam tenemus, quòd deniq. peregrinas in ſedes diſperſi non ſumus, id omne tibi vni atq. adeo vni adſcribimus; præter te nullum aliũ, poſt Deũ; noſtræ ſalutis habemus authorem. Tuo vnius auxilio ſeruati ſumus; qui & nobis alter factus es Iudas Machabæus, dum non ſolum Auguſti caſtrum, ſed & * Auguſtini clauſtrum tuo gladio protexiſti. Te itaque meritò Henrice nobiſcum omnes maximo Reipublicæ præſidio ſentiunt, & perenni in poſterum memoria tenebunt. Atque vtinam tua certè præſentia vultuq; honorando nobis aliquando frui liceret; videres procul dubio omniũ noſtrum in te vota propendere, gliſcere deſideria, & ſingulorũ pectora tibi eſſe deditiſſima. Vale noſtræ decus Batauiæ.

* Hemdonck.

GENE-

GENEROSO MILITI DOMINO IACOBO DE LOCHORSTA, PRÆTORI LEYDENSI, CORN. AVRELIVS, S. D.

QVANDOQVIDEM tua beneuolentia nihil omnium mihi certius eſſe perſuaſum habeo; audeo vir ingenue Iacobe de Lochorſta literas ad te noſtras mittere, & hoc opuſculum tuo nomini peculiariter dicare. Dignum enim eſſe arbitror, vt qui à Carolo rege Catholico, noſtroque principe, militaris gloriæ inſignia accepiſti, eius etiam vicario quem noſtris præfecit in oris, ſinceriſſimè, pro victoria quam apud Nouioportum ſtrenuè confecit, gratuleris. Ad hoc ſiquidem & tuæ probitatis indicium, & ſacræ imitationis prouocare debet exemplum. Leges igitur in hoc carmine quid tibi & ciuibus; quid patriæ debeas & ſuperis. Præterea quantis ſit laudibus ille celebrandus qui publica priuatis anteponere non grauatur. Idcirco enim præclara proborum hominum recitantur facinora, vt poſteri ea ſtudeant imitari, & eorum exemplis ad virtutis cultum excitentur. Ita enim olim Fabius Periclem; Portius Cato Curium; ita

Cæſar

Cæſar Alexandrum; Brutus Iunium Gentilem imitatus, maximas quaſque res geſſiſſe memoratur. Nam vt olim induſtriis pictoribus ex Olympio Ioue Phidiæ, & ſculptoribus ex Argolica Iunone Polycleti tanquam à veris archetypis effingere quippiam licuit: ita & tibi miles inclyte, & reliquis omnibus qui hæc attentè legent, eximium quoddam & præclarum virtutis monimentum licebit elicere. Quapropter, qui iam idem & militari & prætorio munere in Rhenanos apud Leidas ab eodem principe es ſublimatus, incumbit tibi quàm maximè, modò in rem ciuilem modò militarem animum intendere. Nam quemadmodum, iuxta Peripateticos, animus noſter duabus potiſſimum virtutibus illuſtratur; quarum altera, quæ ſequenda ſunt ſequitur; altera, vitanda vitat: ita & rector ſiue præſes duobus ſit ornatus prudentiæ generibus neceſſe eſt. Rogas quibus? Legum poſitiuo, quod aiunt, & militari. quòd illo, quæ ciuibus ſequenda ſunt & fugienda, ingenuè noſcit: iſto, hoſtem fugat, & ſeditiones compeſcit. His itaque, mi Gerarde, præmonitus inſtitutis, ita iuſtitiæ trutinam & lancem ſeruare curato, vt in omnibus & tuo honori probè conſulere, & ciuibus ſemper adeſſe videaris. Poſtremò te

hortor,

hortor, ſi tamen dignus & quidem is ſum quem beniuolè audias, vt omnia gubernes & moderere prudentia, nec te tibi prauorum auferre ſinas conſilia. Genitoris tui, quicum non inurbana nobis olim familiaritas fuit, te ſimillimum præbe. Is enim ſeſe, dum in humanis ageret, in maxima conſtitutum voluptate arbitrabatur, quando cum optimis quibuſq. viris quorum doctrina atque prudentia & ipſe doctus pariter & prudens fieri poſſet, verſaretur. Hæc vt audeam tibi perſuadere & ad ſcribendum me ingerere, meus in te candidiſſimus induxit amor, vt tuus ille patruelis, imò & pater, Reuerendus inquam dominus & vir ingenuus D. Hermãnus de Lochorſta, gratioſiſſimi Domini Traiectenſis vicarius, & S. Saluatoris decanus. Huius enim pientiſſimæ dignationi ſuorumque omnium claritudini meritò & me & ingenium omne debeo: qui eſt vel vnus omnium dulce decus meum, vitæque præſidium & alter Mæcenas. cui vt me totum in tempore commendes, oro quamplurimum. Vale.

DOMINO IOHANNI BANNINGO CONSVLI HAGENSIS CVRIÆ MEO MAECENATI OBSERVANDISSIMO CORN. AVRELIVS S. D.

MAGNOPERE lætor & gaudeo, vir Conſultiſſime Iohannes Banninge, omnia tandem tibi pro ſumma dignitate accreſcere, ac tuis fortunam optatis vel contra ſpem gerere morem. primumque te (vt coram aſpexi) firma eſſe valetudine. deinde etſi non quas debeo, ſaltem quas poſſum tibi gratias habeo, qui tantum in me beniuolentiæ ſemper impendiſti quantum explicare non valeo. Immortale enim ac prope diuinum tuis in me tuorumque officiis debeo beneficium; qui tuo ſolius intuitu per Dominum meum Reuerendiſſimum D. Hermannum Lochorſt vicarium gratioſiſſimi Traiectenſis generalem, ab exilio ad ſedem propriam, & ab ingenti afflictione ad portum ſalutis ſum reuocatus. Quod etſi nunquam dignis neque illi neque tibi valeo remunerare obſequiis; vnum tamen duntaxat mihi reliquum eſt, & in mea poteſtate, vt memoria illud recolam ſempiterna.

Ego tamen interim non immerito nullum tui laudandi pro dotibus animi atque ingenij à Deo tibi collatis (fatebor ingenuè) locum prætermitto; & quoad vires ſuppetunt,pauper dabo carmina vates. Carmen igitur hoc ad Hiſpaniarum regem Carolum prognoſticum tuo nomini peculiariter dicatum iri volebam, ſed non ab re neque temere, niſi mea me fallit ſententia. Non enim facilè adduci poſſum, vt omnem illam veterem olim erga te gratiæ ducalis beneuolentiam (Philippum loquor) aut huic Carolo eius filio, aut per te aulicis eius compluribus,tum maximè Ioanni Syluagio Burgundiæ Cancellario, credam excidiſſe. Et quis eam rogo ſatis poſſit explicare ſerenitatem & gratiam, quam tibi, Domine Conſul, piæ quondam recordationis archidux Philippus, pro ſuo in amicos candore præ multis & quidem inter multos exhibuit; quum ex Hiſpaniis rediens, patreque Maximiliano ſemper auguſto in Germania viſitato, per Lucemburgum Bruxellas peteret? Is enim quum iam nobiliſſimam Rethiorum ciuitatem properaret, teque inter innumerabilem populi turbam, quæ illi obuiam veniebat, curru ſedens proſpiceret, mox ab inſperato, te tuo appellans nomine,

prior

prior ſalutauit & dixit; Eccum virum domi-ne domine prætor Amſtelredame Io. Banninge, ecce ipſum, quem tam ſollicitè quæris atque videre deſideras. O verè magnificum & liberalem; ô verè amabilem & munificum principem; qui neque ambitu, neque itineris tædio victus, tam candidè ſuis ſeſe offert amicis. Tum è veſtigio te conſiderans equo in humum quanquam lutoſam deſilire, & chirothecas detrahere manibus adnitentem, vt ipſum digno cum honore & gaudio iam veluti reducem conſalutares, omnino non permiſit; ſed te ocyus in oppidum ſubſequi iuſſit, familiariùs cupiens tecum de rebus arduis commentari; cuius iamdudum fidem, pectus & obſeruantiam toties in commiſſis tibi officiis expertus fuerat. ideoque ad maritimæ Gelriæ oppida gubernanda tuo in negotiis conſilio, & tuo nihilominus in rebus gerendis vtebatur iudicio. Vnde & te Auſtralem archimarinum & pelagi præfectum inſtituit; quòd tuam ſibi haberet exploratiſſimam grauitatem, prudentiam, & iuſtitiam. Quod quidem officium quàm gnauiter adminiſtraueris, hoſtium capita palis affixa omnibus demonſtrarunt. Cùm igitur mi domine Conſul Iohannes Banninge tanta tibi fuerit apud

patrem Philippum gratia,merito Caroli huius,eius filij, Ducis noſtri ;& Hiſpaniarum Regis præconia hoc in Prognoſtico breuiter comprehenſa tibi peculiariter ſtatui conſecrare. Ceterùm quandoquidem frequentibus ad diuerſos principes & prælatos fungeris legationibus, quoddam propediem tibi edam opuſculum duobus diſtinctum libellis: in quo varias & compendioſas collegi oratiunculas, diuerſos nobilium & Eccleſiaſticorum ſtatus concernentes, quibus vel in eorum receptione,aut conſalutatione,aut promotione poteris vti. Me interea tibi tuiſque omnibus plurimum commendo.

CORN.

CORNELII AVRELII
DIADEMA IMPERATORIVM, SIVE DE CORONATIONE MAXIMILIANI IMPERATORIS, DEQ. BONI IMPERATORIS OFFICIO.

Oratio per eundem CORN. AVRELIVM *compoſita in perſona ſummi Pontificis, quando Imperatorem coronat.*

QVANDOQVIDEM Imperatoriam maieſtatem, non legibus ſolùm, verum etiam armis ornatam eſſe oportet; vt illis ciues in pace foueat, & his in hoſtes fortiter vindicet: noſtræ ſemper fuit conſuetudinis Ser^me. fili, vt qui ea per nos decorari cupiat, eum paterno affectu tum admittamus & obſeruemus & veneremur, quum nos eũ præ cæteris virtute animi, & corporis robore atque opibus præſtare videmus. Credimus enim & iam olim exploratiſſimũ habemus nihil poſſe inueniri noſtris rebus magis conducibile, quàm eum Imperatorem in quem cumulatiſſimè ea congeſta ſint omnia, quæ veteres legimus irrefragabiliter obſeruaſſe. Rogas quæ? Audi fili, & inclina aurem tuam nobis, & nonnulla eorum tibi recitabimus euidẽter. Oportet itaque in primis eum qui imperiali cupit diademate inſigniri, irrepræhenſibilem eſſe & ſine infamia atq. crimine, morum diſciplina probatum, frugalis vitæ;

non auri prodigum, nec ſibi ſed eccleſiæ (quam & re & ſanguine tenetur defendere) theſauriſare. Deinde, religionem colere, Deum reuereri, fide Catholica rectè imbutum, hæreſes è medio tollere. His quoque gratiæ dotibus, naturæ dotes conuenit non deeſſe, vt ſe iuſtè magnanimum, perſeuerãter fortem, modeſtè temperatum, vtiliter liberalem, honeſtè magnificum, & amanter affabilem, omnibus valeat exhibere. Addimus iis imperatoriæ congruere maieſtati, vt eam omnis planè intelligat Chriſtianus deliciarum eſſe ignarum, ſolis æſtuſque patientem, frugali paruoque contentam cibo, balneorum neſciam, vmbræ & ſomnolentiæ negligentem, omnis denique laboris patientem. Præterea vt ad militiæ veniamus exercitia, egregiam in præliis nauare operam, ciuibus aſſiſtere, ſummo conatu hoſtes eccleſiæ profligare, nullum diſcrimen, nullum periculum, nullum denique mortis genus pro iuſtitia & æquitate, pro incolumitate reipublicę, & pro omnium cõſeruatione Chriſtianorum, metuere. Primum inire prœlium, eoque confecto vltimum decedere, non ſuæ ſaluti fuga conſulere, ſed contra hoſtes fortiter ſtare in prœlio Domini. Delectum facere militum, oportuna

oportuna caſtrorum loca prouidere; lentoque, ſed terribili ordine in aciem prodire, hoſtibus tubarum ſonitu & clamoribus Stentoreis terrorem incutere; perſequi fugientes & capere; ſuorũ cateruam ſitne hoſtibus impar, an ſuperior, conſiderare; montem vicinum, nequid obſiſtat, inimicis præripere: loci qualitatem aut congreſſus, ne ſol aut puluis aut ventus obſit, accuratiſſimè proſpicere; ac ita demum ſe diuinæ ordinationi & eccleſiæ precibus committere. Ceterùm memoriæ proditum habemus, nonnullos Imperatores, quum admirabilem & diuinam propè Chriſtianæ reipublicæ nauaſſent operam, immortales tum à mortalibus laudes accepiſſe, quòd eos vulgus non humano ſed diuino in lucem conſilio ſuſceptos exiſtimarent. Carolus etenim ipſe cui Magno cognomen eſt, quas pro Chriſtiana republica ediderit operas, nemo omnium eſt qui ignorat. Hunc vt prædeceſſores noſtri memoriæ prodidere, nouimus ferendi auxilij gratia Romanæ Eccleſiæ, in Italiam innumerabilem exercitum traieciſſe, hoſtibuſque prælio fractis & profligatis cum victore exercitu ſeſe in Gallias recepiſſe. Sex præterea luſtrorum ſpacio, cũ obſtinatiſſimis Saxonibus, collatis ſignis

dimicantem, eum ita demum ſuperiorem in ſua rediiſſe, hoſteſque coactos Chriſtianæ veritati, relictis idolatriæ ſpurcitiis & erroribus, accedere. Omittimus illas omnium ampliſſimas quidem victorias, quibus glorioſiſſimus ille Imperator de Sarracenis & Hiſpanis triumphauit. Nec aliorũ fert animus geſta referre principum, quòd nimiũ & plus æquo pro anguſtia tẽporis noſtra eſſet prouehenda oratio. Hoc vnũ dixiſſe modò ſufficiat, præclaros omnes omnia ſua conſilia, vires & ingenia, ad tuendam Chriſtianitatis rempublicam infatigabili animo contuliſſe. Eos tu sereniſſime fili non ſolùm mirari, ſed etiam imitari & potes & debes. Et quid dicemus? Niſi tu eas & quidem tam ſingulares tibi ab optimo maximo Deo naturaque dotes (vt accepimus) conceſſas, ad Chriſtianorum gloriam laudemque contuleris, omnes in te fruſtra collatas haud immeritò poterit vnuſquilibet affirmare, & fateri te vnũ, proh dolor, fuiſſe Imperatorem, qui Romanum infauſtis auibus dedecoraueris Imperium. Et quanquam plurima ſunt virtutum genera, quæ à Cicerone, Cneo Pompeio attribuuntur, nec ab iis te ſecernendum eſſe volumus; tamen in eo potiſſimum ſtudio te cupimus expeditum inueniri, vt laborem

tuum

tuum in obeundis negotiis, fortitudinem in periculis, induſtriam in rebus bellicis & familiaribus, celeritatem in conficiendo, conſilium in prouidendo, & æquitatem in iudicando admirentur & celebrent vniuerſi. Verumenimverò, quoniam hæc omnia & forſitan digniora non diffidimus in te inueniri poſſe: (niſi à tuis degenerare velis progenitoribus) ſereniſſime fili, ſi ex more maiorum tua ſponte & integerrimo corde paratum te offers ad præſtandum nobis fidelitatis iuramentum, ſecundum literas imperiales aurea bulla munitas, & in Romanæ eccleſiæ archiuis diligenter repoſitas, accede huc, & coronam imperialem tuo capiti imponere non tardabimus.

Poſt hæc ſummus Pontifex accepto iuramento accedens inungit eum in Imperatorem, & capiti coronam imponit, dicens:

ET quoniam tua ſponte atque vltronea voluntate hoc te fili ſacramento aſtrinxiſti, vt nunquam à Chriſtiana republica deficias; quin ei, vbi caſus tulerit, præſidium præſtes, eiuſque hoſtes propellas, atque vt vno omnia explicemus verbo, eum te facilè exhibeas, qualem optimum decet eſſe Imperatorem: iccirco diadema ſacri Imperij

tuo capiti imponimus,& authoritate Dei ac B. Petri te in caput omnium Chriſtianorum ſacro inunctum chriſmate conſtituimus. Tu ex hoc pro tua admirabili diuinaq́ue virtute, ſub Chriſti optimi maximi ſignis enixiſſimè militabis, atq. Chriſtianam rempublicam, quo ad eius per te fieri poteſt, tueri ſemper conaberis. In hunc maximè modum inuictiſſime Imperator & ſereniſſime fili, digniſſimis ab omni populo celebraberis laudibus: & cùm ab hac mortali vita (quod Deus omen àuertat) deceſſeris; piorum locum & ſedem conſequêre. Hac nos proculdubio mente ſumus, & fide ſtabili credimus, imò & conſtanter de Omnipotentis confiſi clementia, eum ſacrorum collegiis inſerendum aſſerimus; qui hæreditatem Domini de manu hoſtili eripere, & eccleſiam Chriſti defendere deſtinauit. Neque enim fieri poteſt, vt tu qui ſanctè iuſteq́ue poſthac vitam inſtitueris, & ſanguine tuo atque gladio Christi iniuriam vindicaris, beatitudine non perfruaris ſempiterna. Vade in hac fide atque fortitudine quocunque te eccleſiæ caſus vocauerit, & Dominus tecum erit in omni loco, virorum fortiſſime. Ito in pace.

Excuſat

Excuſat ſe Imperator quòd non temere hoc munus acceperit, ſed ſola pietatis gratia. quam exponit, & domino Papæ gratias agit.

MIRVM ſi non miraberis S^me^ Pater, cum ſacratiſſimo fratrũ tuorum collegio, me plurimis forſitan principibus, & robore & diuitiis & potentia longè inferiorem ad hoc excellentiſſimum imperatoriæ dignitatis officium aſpirare. Verùm ſi rem ipſam boni conſulere dignaberis, & me in his (quæ dicturus ſum) haud grauatè exaudire, intelliget planè S. T. me non temerè aut ambitione inductum, vt iſtud tantæ moleſtiæ munus, (vt verum fatear) obire audeam: ſed zelo quodam, neſcio cæleſti ne fato, an numine afflatum, ad omnipotentis Dei honorem, qui ſpretis omnibus Iſai filiis, ſolum Dauid humilem elegit, hoc me attentare dumtaxat voluiſſe. Cùm enim nuper acciperem à narrantibus, ſolâ progenitorum meorum incuriâ Turcas à Chriſtianitate duo propè Imperia, duodecim regna, & nongentas pænè vrbes abſtuliſſe; indolui fateor, & vltrà quàm credi poteſt, in me ipſe contabui. Magnus etenim ille Philippus, à quo genitor meus ſibi nomen ſortitus eſt, quum eſſet in conuentu Ratiſponenſi, adeò

 ab Ænea

ab Ænea Siluio (qui tum ibidem imperatorias agebat vices) de Turcarum in Chriſtianos immanitate perorante, ad expeditionem in eccleſiæ hoſtes animatus eſt, vt non ſine lachrymis, ſanctè iurauerit ſe illi bello mox commodè affuturum, cruciſque ſignaculum à Caliſto Papa acceperit. At neſcio quibus de cauſis aut certè fatis repugnantibus, omiſſum eſt tam neceſſarium tamque expediens prælium, niſi quòd res vti vno impetu mota, ita etiam facilè ſæpius reſidet, aut principibus ipſis forſitan ob voluptatem rem tantam omittentibus. Sed neque nos præterit, eundem quem diximus Philippum, ad Æneam Pium tum Pontificem, quum Nichone ageret, moturus inde in barbaros, oratores ſuos miſiſſe, qui eius moram excuſarent, quòd tum vndique inteſtina (proh dolor) bella reſurgerent, neque facile eſſe, ſua defendere & exteris intereſſe. Germani enim partim in ſe, partim in Pannonios ad arma properabant. Excitabantur Britanni eadem tempeſtate, duplici factione, quarum altera veterem in inſula regem, altera fugato veteri, nouum in officio retinere conabantur. Hiſpani præterea eodem in tempore Barchinonenſibus auxilio futuri, quos Aragoniæ Rex armis Gallorum

adiutus, bello premebat, omnia deturbabant. Et quid tum abauus meus ſenior ille Philippus equidem debilis ac ætate preſſus ageret, in horum ferè medio conſtitutus, niſi ſuorũ futura timere ſpolia, inuaſiones & rapinas ſi abeſſet? Verumenimvero vt voto ſuo vel ſpecie tenus ſatisfacere, & eccleſiæ rebus omnino nõ deeſſe videretur, collecto grandi ſuorũ exercitu, & valida nauium claſſe, miſit filium ſuum quem vnicè diligebat Antonium (Borgundiæ nothum vocitant) vt ób indictum Turcis bellum eius ſuppleat vices ac promiſſum. Is igitur vbi poſt plurima maris pericula tandem in Calabriam appulit, accepit à Duce regionis literas Philippi ſigillo cõſignatas, quibus mãdabatur prouincialibus loci, vt Antonium, ſi quando illuc veniſſet, morti adiicerent. Contrectat Antonius literas, & patris ſui ſigillum aſpiciens mirum in modum obſtupuit, nihil ſibi conſcius aliquando perpetraſſe quod genitorem ſuum offenderet. At mox hoc ſola aulicorum factum eſſe perſentiens perfidia, domum redire maturauit: ne quod in ſe tam enormiter factum excogitatumque doluit, etiam ipſi in patrem Philippum molirentur. Acceſſit his inſperata mors ſummi Pontificis, qui tum iturus in bellum

quod

quod Turcis indixerat, claſſem iam paratam in portu Anconitano, ducemque Venetorum Chriſtophorum & Chriſti conmilitones habuit, relictis collegio Cardinalium, in vſum naualis belli & triremium, ſexaginta milibus nummûm aureorum. Quare ſublato totius Chriſtianitatis capite & paſtore, oues diſperſæ ſunt, & quique in ſua rediere, omniſque illius expeditionis apparatus & copia in ſpongiam imò in ſpumam (quod fertur) abiit, & redacta eſt in nihilum. Poſtremò quid de proauo meo referam imperatore Frederico tertio, quem vulgò ferunt aut ex Iudæorum tributis adeò auaritiæ deditum vt expenſas ad prælia cauerit, aut certè ſomnolentiæ, vt in neutralitate (quam dicunt) ſummam ſibi pacem conſtituerit & quietem. Etenim dum frequẽtes pro Chriſtiana republica conuentus, tum in Italia, tum in Germania, celebrarentur, & iam capta Conſtantinopoli haud minimam paternæ hæreditatis ſuæ partem in Romondiola à Turcis audiret occupatam; vix potuit excitari vt obſtaret, forſitan ſuapte natura pacis quàm belli amantior. Quamobrem quidam Cardinalium (qui tunc legatus aderat) dum nihil certi in tanta rerum anxietate & anguſtia decerneretur, ſed diæta diætam
ſemper

ſemper páreret, in hanc maximè ſententiam, & quidem longa ſatis epiſtola ad ſummum reſcripſit Pontificem: Si ita, inquit, ſanctiſſime Pater, poſtea pugnabimus, vti nunc ſtertimus, proculdubio iam vicimus & triumphamus. Sic igitur & ſimilia mecum repetens, confeſtim animo deſtinaui, (Deo mihi propitio facto) hanc meorum negligentiam reſarcire. & vitam meam, meaque omnia pro ablatorum recuperatione promptiſſimis votis exponere. Si in hoc; B. Pater delinquo, precor mihi ipſe ignoſcito. Non enim excidit nobis neque ſubterfugit, quantis ſollicitudinibus & curis, nedum miſeriis & periculis, hæc veſtis qua me decoraſti referta ſit, ita vt ne humi quidem iacentem, eam tollere vellem: ſed neſcio quibus inflammer deſideriis, aut etiam fatis impellentibus, vt quietus eſſe non permittar, donec hanc ipſam patrum meorum maculam atque dedecus, aut meo ſanguine, aut certè egregio quouis pro eccleſia Dei ſubeundo facinore, & abolere, & abluere mihi concedatur. Alteram, atque adeò vrgentem cauſam quæ me licet immeritum, ad hoc impulit munus ſubeundum, iſte nunc Heraldus inter prandendum & calices tibi, ſi placet, mea voce coram recitabit.

Supplicatio

Petitio regis Romanorum, qua petit vt ſummus Pontifex iubeat in ſecundis menſis poſt tubarum clangorem Heraldum eius in medium venire, & viſionem Domini ſui ſuper ſtatu eccleſiæ atque Romani Imperij pronunciare.

QVANDOQVIDEM nunc reuerendiſſime Præſul Apoſtolice, bellaria paſſim apponuntur, obſecro priuſquam omnia conuoluantur, vt dignetur B. T. meam audire Apocalypſim & viſionem, qua vel maximè accenſus ſum, hoc obire munus imperatorium, hancque difficillimam ſubire prouinciam. Quam equidem breuitatis gratiâ ante coronationem haud temere prætermiſi: ſed iam per noſtrum Heraldum (ſi non excidit) tibi B. pater recitandam promiſi. Omnia enim auditu ſunt digniſſima & miranda quædam atque iucunda ſanctiſque documentis pietatem ſapientibus refertiſſima, quibus facilè profertur, quid in primis mihi ſit cauendum, deinde quid tibi, quid me pro officio & quid T. B. deceat. Iube igitur vt reticentibus lituis in medium præco noſter procedat; & veluti voce mea, quod mihi diuinitus reuelatum eſt, hic in communi omnium conuentu referat euidenter.

Mox

Mox Heraldus accedens, præmiſſa ſalutatione, ita inquit. Quòd mihi tam nobilis mandatur ſeruitus B. Pater, magnopere lætor. Nihil enim præſtantius, nihil cordi meo iucundius accidere potuit, quàm vt à Domino meo Rege tibi deditiſſimo ad te mittar nuncius & relator. Audiant igitur omnes voce quidem mea, ſed ex verbis & perſona domini mei quod eos haud mediocriter inſtruat & ad melioris vitæ frugem vehementer inflammet. Deinde prolatis tabulis, vice & nomine Regis ait; Quadam tempeſtate, dum venatu veniens, graui præ laſſitudine, ſomno oppreſſus eſſem: ſubter vnam Iuniperum, viridi in ceſpite me compono, circunſtantibus me ad vigilias miniſtris primipilaribus ac præfectis. Vbi quum iam placidè vtrumuis in oculum obdormirem, videre mihi videor aquilam imperialem deſuper in arbore conſidentem, expanſis quidem alis, ſed pennis raris, vnoque priuatam capite, altero ſatis debili & pendulo, quibus olim & in orientem & occidentem cæli plagam ſolebat reſpicere; præterea oculis cæcutientibus, & cæſiis, lingua præſecta, deplumi collo, & digitis pedum exunguibus, macieq; confectam præ eſurie. Poſt hæc deſuper aquilam in ramis,

picum

picum reſidere conſpicio, quem cum vocali garritu & ſubitariis ſaltibus, deridere, minari, incumbere, inſidiari, prædamque præripere, & tandem ab ilice deturbatam, longius inſequi & profligare. Tum aſtare mihi è regione viſus eſt haſtam manu ferens ſacer Quirinus (Romani Romulum dicunt) qui hoc me ſermone amicè compellabat: Viden' mi fili, aquilæ noſtræ ſenectá, eſurié, & miſeriá, multiſq; afflictam iniuriis. Sciſne, quid iſta ſibi meo in regno portendant? quod ego quidem in Roma primus occeperam, & filio meo primogenito Armaëlo (quem ex coniuge Biſantea filia Chuſethæ matris Alexandri ſuſceperam) gubernandum reliqui? Auribus igitur percipe quæ dicturus ſum, & memori mente ea reuolue frequenter. Aquila, vno priuata capite, Conſtantinopolitanum ſignificat regnum (quod filio meo Varbano in Biſancio vrbe matris ſuæ Biſanteæ, cui & Alexandrinum quidem filio meo Claudio reliqui, quaſi in vnum coalitum eſt caput, vnum conſtituebant Imperium Oriétis) iam prorſus à Turcis, Romanis ablatum eſſe. Alterum præterea quod aquilæ remanſit caput, ſed debile ſatis, Romanum ſignat Imperium, à prima gloria nimium excidiſſe, & iam omnino
prope

prope interitum eſſe; niſi accuratiſſimè prouideatur. Alas profectò habet expanſas, ad defendendum contra Barbaros Imperium: ſed raras obtinet in eis pennas; quandoquidem pauci admodum ſunt principes,qui aſſiſtere ei & opem ferre conentur. Cæſios inſuper & cæcutientes tibi viſa eſt habere oculos: quoniam auaritia excæcauit primates eius: omnes diligunt munera, & ſequuntur retributiones. pupillo non iudicant, cauſa viduæ non ingreditur ad illos, & oppreſſis non ſubueniunt. omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Imperij. principes eius infideles & ſocij furum. Quapropter omne caput languidum, & omne cor mærens. nec eſt qui contriſtetur ſuper contritione domus Ioſeph, & pauperum terræ. Linguam quoque eius vidiſti præſectam: quòd omnes adiurati eius facti ſunt veluti canes muti, neſcientes latrare aduerſum eos qui imperio detrahunt & aduerſantur, nullam prorſus ei exhibentes obedientiam ac honorem. Muti profectò ſunt qui retinent verbum in tempore ſalutis, & pro iuſtitia certare vſque ad mortem metuunt. Vngues poſtremò habet in pedibus detruncatos, quoniam omnis fortitudo eius & poteſtas propter inextricabiles regum exorbitantias

& diſſenſiones iam penitus ablata eſt atque defecit. A planta pedis vſque ad verticem non eſt in ea ſanitas. Regionem eius alieni deuorant, & deſolata eſt quaſi in vaſtitate hoſtili. Quid multis? Picus eam deſuper irridet & infeſtat, perſequitur & profligat. Et quidem temerè minus. Is enim primus Laurētum & Latinorum rex, & Circes carminibus quòd eius amorem ſperneret, in auem ſui nominis mutatus; præſens haud immeritò deridet Imperium, quod à ſuo vſqueadeò degenerauit, vt præter nomen & titulum, ne Imperij quidem habere ſpeciem videatur. Quotus enim quiſque Imperatorum eſt hoc in tempore, qui cum Octauiano, bella & ſimultates execretur; cum Tiberio, literarum peramet ſcientiam; cum Veſpaſiano, omnium facilè iniuriarum obliuionem; & cum Tito eius filio, in ciues clementiam, liberalitatem, honorificentiam, & pecuniæ contemptum. Ad externos veniam quorum virtute magis Romam creuiſſe conſtat, quàm eorum qui in Italia orti ſunt. Quis rogo Imperatorum noſtri huius ſæculi poterit inueniri, qui tantam cum Nerua in ciues habeat tributorum indulgentiam, & qui afflictas releuet ciuitates? Quis obſecro nunc tantam cum Traiano in

no in re militari diligentiam, in ciuilibus lenitatem, in erigendis miſeris largitionem amplectitur? Quis denique cum Helio Adriano tam moderatam legum ſeueritatem, tam incredibilem cum Antonino Pio iuſtitiam & æquitatem, qua veluti totius ſedebat arbiter orbis, modò inſequitur? Quis etiam cum Aurelio Marco certare flagitat, qui tantam cum ciuibus concordiam, tantam vitæ tranquillitatem & poſtulandi verecundiam habuit, vt ſolus omnium poſt me, digno honore cælo receptus eſſe credatur? Hæc ego Romulus ſed Ethnicus. de paganis Imperatoribus atque profanis refero, dum tibi regis Pici in aquilam deriſum & ſcommata nitor oſtendere. At longè ſagaciùs & ſacratiore myſterio hanc ipſam irriſionem conſtantiſſimus tibi ediſſeret Conſtantinus, qui maximus tuæ religionis extitit propagator, quique (me abeunte) mox coram aſtabit, vtpote tum religione, tum tuorum gratia tibi ſatis aſtrictus, vt deneget nihil. Is enim dum adoleſcens à Galerio Romæ, ſpecie religionis, pro patre (qui tum apud Anglos agebat) obſes teneretur, fugam arripiens celeriter in Britanniam peruênit. Et fortè illis diebus, ibidem compoſitis ad pacem rebus, Conſtantium parẽtem vltima

fata, frequenti & anhela febre perurgebant. Quo mortuo, cunctis qui tunc aderant annitentibus, ſed præcipuè Croco gentili tuo, atque Alemannorum rege, idem Conſtantinus Imperium accepit. Minimè igitur moleſtum ei fuerit, altiora quædam de Pici garritu in Aquilam, tibi enarrare, qui & tuus eſt religione, & tuorum fauore coronatur. Sic conditor Romæ Romulus abiens ait. & confeſtim aſtare mihi video Conſtantinum Helenæ ex Conſtantio filium Imperatorem religioſiſſimum. Is hilari vultu ad me reſpiciens, Tibi, inquit, ô fili ſuperûm gratia miſſus ſum: vt quæ Armaëlus Romulus mihi diſſerenda reliquit, tibi modò propalàm manifeſtem. At ne te ex venatione fatigatum diutius teneam: paucis quæ reſtant accipito. Omnes igitur Pici Martij geſtus, ſannas & inſultus, & Aquilæ collum deplume; atq alia quæ in ea vel trunca vel debilia vidiſti, ſacri Imperij lapſum & declinationem atque (vt verum fatear) interitum (quæ omnia principum deſidiâ contigerunt) intellige. Proh nephas! Ego illud quantum ad me pertinuit (vbi ſororem Conſtantiam Licinio Mediolani coniugem tradidi, & Martinianum officiorum magiſtrum Byzantij Cæſarem creaueram) glorioſiſſimè rexi & ampliaui.

ampliaui. Primus omnium, caput perpetuo diademate cinxi. rebus multis, populo commodiſſimus fui. legibus ſeueriſſimis factiones ſedare & calumnias; artes nutrire bonas, literarum præcipuè; ipſe quoque legere, meditari, & ſcribere, audire legationes & querimonias pronunciare: domi prudenter & ſanctè, foris ſtrennuè & fortiter agere; ſed ſuper omnia decorem domus Dei magnificè amplecti, operoſa Chriſto erigere templa; Diuinos augere cultus, ſacerdotium venerari, miniſtris eccleſiæ regaliter prouidere, nihilque eis detrahere aut imminuere. quod tuorum plerique non ſine tuo dedecore perpetraſſe cognoſcuntur. Nam clamor pauperum & chriſtorũ Domini ad ſuperos iam aſcẽdit: qui per tuos proceres, ſub barbaro quodam amortiſationis titulo atque diplomate, ad nudam vſque cutem euiſcerantur, & ſine miſericordia à tuis corroduntur. Hæc tibi ex me ſequenda recitaui (neque enim adulatio neque laus propria mihi iam nocere poteſt qui in portum appuli) vt vel ex his coniicias, quid te imprîmis deceat qui Imperialem ambire videris coronam. Verùm, iſta quæ ſint, alia oratione cùm tempus rerum agendarum affuerit, à tuis docebere Epiſcopis: nunc reliquam vi-

ſionis tuæ partem exponere curabo. Picus itaque (vt vidiſti) aquilam deridet, infeſtat & impingit, dum plurimi ſunt hac tempeſtate, qui maiorum decreta contemptui habent, aſpernantur & impugnant. Hi ſunt qui variis circunferuntur deſideriis, modò nigrum amaræ bilis, albo hypocriſis; modò viride hilaritatis, fuſco mæſtitiæ palliantes; inſtabiles, ſuperbi, ſimplicium deriſores, cupidi, ſemetipſos amantes: ingrati quoque & potentum proditores, ſine affectione, ſine fœdere, ſine pace, proterui, voluptatũ amatores magis quàm Dei: habentes quidem ex pennis inſtar pici, ſimulatæ ſpeciem pietatis, at minimè virtutem: blaſphemi, murmuratores, ſermonibus ſanis contrarij, languentes, circa verborum pugnas & aniles quæſtiones, euangelicam puritatem ſuis lenociniis contaminantes. Qui ſpiritibus errorum attendunt, & dæmoniorum doctrinis in hypocriſi, ſemetipſos ſegregantes, & ſecundùm deſideria ſua ambulantes in impietatibus, tumidi, proprio ſenſu pro ſuo, arbitratu inflati, animales, ſpiritum non habentes. Hæc de geſticulatis pici in aquilam illuſionibus. Collum præterea quod in aquila conſpexiſti deplume, Imperatorem exprimit ſine dilectione, ſine diſcretione, &

ſine

ſine fama nitente, qui non (vt collum) omnia membra Eccleſiæ & caput connectit, atque alimenta in totum corpus tranſmittit, ſed illud ſua indiſcreta exactione grauans diſſociat & confundit, magis ſe impugnatorem quàm Imperatorem exhibens, non pium ſe gerens Traianum ſed impium tyrannum. Quid multis? Qui Eccleſiam ſuſcepit paternaliter tuendam, eam magis ſua pellectus quaſi meretrice auaritia turpiter lacerat: & quam munificentia liberali de ſuo locupletare debuit, proh dolor, conceſſis ſpoliat, aut contra omne ius & conſuetudinem vetuſtiſſima euacuat immunitate. Poſtremò nitorem famę ſuæ veluti dudum fulminantes in collo plumas perdidit: qui neque ſuo conſulit nomini, neque Deum reueretur aut homines metuit, neque vlla in pauperes Chriſti flectitur miſericordia; nec meminit, veteres, fiſcum ſolitos vocitare lienem, quòd eo ſuccreſcente, reliqui artus contabeſcant. At verò boni Imperatoris eſt quem te in omnibus ſequi decet, diſcretè omnia agere, magiſque ab omnibus amari velle quàm timeri, & ſuper omnia temeritatem fugere; ſatis celeriter fieri quicquid commodè geritur. nunquam genti cuiquam niſi arduis de cauſis bellum indicere:

pacis quàm Martis amantiorem eſſe: præcipitationẽ animi & inconſtantiam odiſſe: erga ciues verſari clementiſſimè, in amicos fidum exiſtere, ſpadones & adulatores, non ſecus atq veſtium tineas aut ſorices, Palatio eiicere: nunquam iniuria accepta, excepta ſola Dei, ad vlciſcendum inconſultè duci; placidum ſe affatu, & conuiuiis comem, atque magnificum præbere; beneuolentia mirabili necnon perpetua, ſe ciuibus conciuem, imo & patrem exhibere: militum luxuriam refrenare, profuſiora ſtipendia comprimere; nec ſolùm in hoſtilibus prælíis, ſed etiam per legitimos tramites calumniarum iniquitates propulſare. Litteratos colere, honoribus probos afficere, nec abſque horum conſilio quicquam attentare; Eccleſiæ, eiuſque miniſtris viribus totis incumbere, reuereri, promouere. Et vt vnico verbo complectar vniuerſa, quæ præclarum decent Imperatorem; ſceptrum eburneum quo inſignietur dextera tua, docebit te vt nihil non rectum imperes. Aquila verò quæ vel huius faſtigio ſceptri iuxta Homerum inſidet, aut hodierno ritu Imperiale vexillum occupat, hoc tibi portendit, vt ad cæleſtia mente ſubuolitans, aquilinis oculis quæ humi ſunt deſpicias. Poſtremò aurea

caput

caput accingêris corona, vt in primis quamplurimum ipſe ſapias: conſilij autem gratia ſapientum caterua te ſemper comitetur (aurum quippe ſapientiam myſticè ſignat) ne quid vt homo per errorem pecces; deinde curare continuò quæ recta ſunt, nequid contra animi iudicium & rationem perperam corrupteq́ue perpetres aut efficias. Hæc ſi animo tibi ſunt ô fili omnia obſeruare, erimus procul dubio tibi bonus odor in ore omnium Electorum Imperij, & in Romanorum regem aſſumêris. Deinde ad ſummum contēdens Pontificem, omnia iura, regiones, & bona quæ olim ei largiſſimè conceſſimus, te conſeruaturum pollicebere ac iuramento obfirmabis. Bene optime, nihil æquius. At non vnum eſt quod me haud minimè lædit & grauat; eum ſcilicet præter hæc omnia aliunde inſolitis mendicare indulgentiis, quæ fidem ſimplicium magis contaminant quàm ædificant, dum eas ipſe per ſuos veredarios quaſi vænales certo ſub ære exponit. Si ei omnia quæ dedimus, non ſufficiunt, tu obſecro ex tuis addito alia, vt vel ſic in vulgo ſine auaritia videantur mores eſſe eius, quem tanquam numen aliquod habemus & colimus in terris. Sed ſiquid hactenus vtrimque erratum eſt, vterque

 reſipiſcat,

reſipiſcat, ſuſcipiantque montes pacem populo, & colles iuſtitiam eius requirant, ne fortè quis temere ſed verè dicat: Leo rugiens, & vrſus eſuriens, Princeps impius ſuper populum pauperem. Verumenimverò hæc ſubrepens primum & adhuc tenera in vtroque veſtrum cupiditatis labes, facilè recidet, ſi egentis Domini Saluatoris noſtri volueritis ſemper meminiſſe. Huic enim ad paſſionem eunti, duo per Apoſt. Petrum gladij præſentati: duo in vobis, tanquam duobus totius Eccleſiæ primariis capitibus, notant requirenda: in ſummo Pontifice gladius ſalutis exquiritur quod eſt verbum Dei, quo paganos ad Chriſti fidem reuocet, quo fideles in bono conſolidet. In Imperatore gladius virtutis neceſſariò requiritur, vt habeat quo Eccleſiam tueatur & hoſtes eius ſtranguler. Arripiat itaque Pontifex gladium ſuum vt audiatur procul vox eius & nomen, dicente Propheta: Leo rugiet, &
Oſeæ 11. quis non pauebit? Imò inquam Leo rugiet, & formidabunt filij maris, ita vt in ore Leonis fauum mellis ſinguli inueniant: dulcedinem vtique mutuæ charitatis, & delicias cæleſtis pabuli. dum ſemper ſarciendæ pacis ſtudium habet cum Iuda Machabæo, & exhortationis verbum, de quo legitur:

Similis

Similis factus eſt Leoni in operibus ſuis. Leo enim animoſus eſt & liberalis, apertiſque dormit oculis. Audacem quippe fortuna iuuat, liberalem omnes diligunt, diſcretumque venerantur. Neque hoc prætereundum putem, fuiſſe in fabrica templi Salomonis, cælatos non tantùm Leones, ſed & Boues & Cherubin, vt is qui ſolus toti præſidet Eccleſiæ, ſit iuſtitiæ viribus fortis, vt leo; modeſtiæ legibus commodè ligatus, vt bos, & ita demum ſcientiæ luce dotatus, vt Cherubin. At verò nunc ô Imperator mihi admonendus es, vt qui aquilam in armis portas, aquilam ſtudeas imitari. Hæc itaque auis infatigabili eſt volatu, clariſſimo viſu, & mirabili odoratu. Tu ergo inſtar aquilæ in alta virtutum volare contendito, & ad cæleſtia pro viribus ſubuolitans terrena quæque deſpice. Illuc præterea frequenter oculos flecte, vbi merces tua magna nimis eſt repoſita. Pullos tuos, Eccleſiæ dico filios, ſub alas tuas ſuſcipe, congrega & defende. Vbicunque cadauer aut fœdæ hæreſeos aut perfidiæ ſenſeris, confeſtim adeſſe curato, & mox iuſtitiæ gladio illud à ſano Chriſti corpore ſeparato. Hic tibi ſit labor, hæc ars, hoc ſtudium; qui ſi

mea

mea non ſpreueris monita, eum te facilè præbebis Imperatorem;qui & Deo & hominibus ſit quàm gratiſſimus. Vale,& memori quæ dico mente reuolue. Hæc vbi dixerat Conſtantinus, mox tenues eſt effuſus in auras: & ego experrectus confeſtim ad te ſanctiſſime Pater properaui, vt me tibi & Eccleſiæ conſecrarem.

EX BATAVICA HISTORIA

GERHARDI GELDENHAVRII Nouiomagi.

MVLTIS *ante* CHRISTVM *natum annis, Bato Regis Cattorum filius, nouercalibus petitus inſidiis, à patre diſceſſit, nobili gentis ſuæ iuuentute, & haud mediocri popularium numero eum comitantibus.*

Erat autem Bato, ſtatura procera, forma conſpicuus, fortis viribus, militaris rei peritiſsimus, aditu facilis, ac in primis ſummus popularium ſuorum amator.

His regiis dotibus vt nouercam in odium, ita bonam Cattorum partem, in ſui amorem, pellexerat.

Seceſſus verò ſui menſe ſecundo, Rhenum eò loci, vbi in duo quaſi cornua diuiditur, cum ſuis omnibus traiecit, legatosq́ ad Menapium Tungrorum Regem ſocerum ſuum miſit, orans vt genero conſulat, quonam in loco minima cuiuſuis iniuria conſidere poſſet.

Tungro-

Tungrorum rex, vbi legatos audiuit, Moſa traiecto ad Batonem properat, quem ſibi occurrentem amplectens in arcem Magum, quæ ad Moſæ ripam eſt, excepit, & ſeceſſus cauſa comprobata conſilium dat, vt ab eo loco vbi Rheno traiecto conſederat, ad Moſæ Vahaliſque confluentem vſque regionem cultoribus vacuam occuparet.

Quod quum Bato ſeniorum nobilitatíſque conſilio, genti ſuæ indicaſſet, Tungri conſilium approbant, & in Rheni ripa caſas erigere cœperunt.

Bato verò, ſocero ad Tungros reuerſo, haud procul à Moſa in conſpectum Magi, arcem extruxit, quæ conditoris nomen Batoburgum in hunc vſque diem retinet. Eodem tempore & Cattuicus aliquot paſſuum milibus ſupra Batoburgum, in veterum conſanguineorum memoriam ædificari cœptus.

Quum autem Rheni ripa, & quicquid agri inter Moſam & Vahalim (quæ Moſaualia dicitur) tantæ multitudini non ſufficeret, Inſulam etiam intra Rhenum Vahalímque ſitam ad Oceanum vſque inhabitare cœperunt, Batauorúmque inſulam nominant. Et ſicut in Moſaualia Cattuicum terminum regionis eſſe placuerat, ita & eiuſdem nominis ad Oceanum quoque pagum conſtituêre.

Et ne

Et ne in Inſulam facilis pateret traiectus, in initio ipſius arcem conſtruxere, quam Loepeckam, id eſt curſus angulum nuncuparunt.

Cúmque Bato ſumma æquitate præeſſet, & non paucos vicos, pagos, municipia & arces extrueret, eas nobilitatis ſuæ nominibus appellandas curauit.

Tandem regij alicuius palatij conſtruendi conſilium capit, in quo tam Inſulanis quàm Moſaualianis ius dicere commodè poßit. Quúmque iubente rege, architecti totam Batauorum regionem diligentius perluſtraſſent, indicant ſe collapſæ cuiuſdam arcis veſtigia, in editiore colle, qui pro ripa Vahali adiacet, paululum infra eum locum vbi primùm traiecto Rheno caſtra locarant, vidiſſe, quo regiæ ædificandæ, iuri dicendo, ditioni tutandæ, nullus eſſet aptior. Inquirit Bato à Tungris, quíſnam arcis illius fundamenta olim iecerit. Narrant ij, potentiſsimum olim Galliarum Regem Magum, Ditis filium, ibi nominis ſui arcem ædificaſſe. verùm illius filios in interiorem Galliam abeuntes eam neglexiſſe, & iam à multis annis nemini inhabitatam eſſe. Animatus hoc reſponſo Bato, locum adiit, indéque ſuperam Inſulæ partem proſpectans & à ſiniſtris agrum fertiliſſimum, à dextris verò, collium, vallium, ſyluarumq;

uarúmque amœnitate, ac fontium ſcaturigine captus, reſtaurari, & muro triplici ornari ſimul & muniri, eámque Nouiomagum ab innouatione dici iuſſit.

Mortuo Batone, filius ipſius Heſſus, Batauorum rex, totius gentis acclamatione ſalutatus, Nouiomagum, vbi natus erat, mirum in modum domibus auxit, ita vt inferior oppidi pars, ipſius nomine, Heſſi mons in hæc vſque tempora vulgo dicatur.

Poſt hæc communi Batauorum conſilio Nouiomagum regia & caput gentis conſtitutum eſt, cœpítque Batauorum nomen, non ſolùm per vicinas Galliarum regiones, verùm etiam per Italiam & longius diſſitas prouincias celebrari.

Mos quippe Batauis erat, iuuentutem quæ ab agris colendis vacabat, militari & in primis equeſtri diſciplina exercere, atque ita exercitos in exteras regiones ad ſtipendia facienda mittere.

Itaque factum eſt, vt bello Mithridatico aliquot Batauorum cohortes, ſub Lucio Cæſare, tum Achaiæ proconſule, patre Iulij Cæſaris, militarent vnà cum Carolo Inacho Tungrorum regis filio. Horum tanta virtus & fortitudo fuit, vt Senatus populúſque Romanus Regem & gentem Batauorum amicos

Senatuſ-

Senatuſconſulto ac plebiſcito declarauerit.

Iulius autem Cæſar mortuo patre ſuo, Batauorum cohortes in ſummo honore ſemper habuit, hos corporis ſui cuſtodes conſtituit, his primam Aquilam in dubiis bellis credidit, horum potiſſimum opera Britanniam ſubegit.

Durante etiam bello Gallico, Cæſar Nouiomagum vſque deſcendit, & in amicitiæ ſuæ erga Batauos memoriam, arcis partem quæ Vahali imminet, Romanorum more per ſuos architectos & fabros, aduerſus aquarum impetum muniri fecit, ab ipſoq́ ea ſtructura, domus auxiliaris Batauicè, Dat huſz ter hulpen, *nuncupata eſt.*

In bello verò Ciuili, Batauorum cohortes Pompeianos vicerunt & Pompeium in fugam verterunt.

Mortuo Cæſare dictatore, fideliſſimi in Romanorum amicitia ad Vitellij imperium vſque Batavi perſtiterunt. Auguſtus quoque Octauius in comitatu ſuo multis annis eos detinuit, & Tiberius corporis cuſtodes delegit.

Sub Druſo verò & Germanico, ſtrenuam Romanis operam pace belloq́ iam clari, nauarunt.

Regnante autem Caligula, nonnihil tam

inſani principis imperium detrectantes, Romanis reſtiterunt.

Sub Claudio, reddita illis priſtina libertate ac dignitate, crebris per Britannias victoriis claruerunt.

Neronis verò, ac matris eius Agrippinæ, corporis cuſtodes veteri more conſtituti, tandem à Galba contumeliis affecti, in patriam rediere.

Vitellius Cæſar, quum Batauorum fortitudini, victos Othonianos, acceptum referre deberet, beneficiorum immemor, luxu & auaritia præfectorum ſuorum, eos ad defectionem adegit. Hinc atrox bellum inter Batauos & Romanos exortum eſt. Manente hoc bello, Nouiomagum Batauorum oppidum, ab ipſo gentis duce, quia id aduerſus hoſtes defendere nequibat, ſuccenſum eſt. Tandem æquis conditionibus ab armis diſceſſum, manente Batauis apud Veſpaſianum & filios eius, veteri gratia & auctoritate.

Sub Hadriano Auguſto rurſus corporis cuſtodiæ adhibiti, quum multis Auguſtis & fideliſſimi & gratiſſimi fuiſſent, imperante Septimio Seuero, libertatibus & honoribus ornati in Britanniis (vt olim) ſæpe feliciſſimè pugnarunt. Quàm grati Seuero fuerint, ſatis declarant vetuſtatis Monumenta,

mea

mea ætate eruta, non procul à Legia oppido, quam à legionibus quæ ibi caſtra habuerunt, denominatam veriſimilis coniectura eſt. His hæc inſcripta erant:

IMP. CÆS. L. SEPTIMIVS SEVERVS AVG. ET M. ANTONIVS CÆS. COH. VOL. ARMAMENTARIVM VETVSTATE CONLAPSVM RESTITVERVNT SVB VAL. PVDENTE LEG. AVG. PR. PR. CVRANTE CÆCIL. BÆTO PRE. GENS BATAVORVM AMICI ET FRATRES ROMANI IMPERII.

Conſtantio autem Cæſari, ac Conſtantino, qui poſtea Magnus dictus eſt, in Britannia olim commilitones Bataui, magnum momentum ad imperium Romanum obtinendum attulerunt.

Nec Iuliano in pugna Argentoratenſi auxiliatrices Batauorum turbæ defuerunt, ſed ipſius exercitui in pugna laboranti animum addidere & victoriæ cauſa fuerunt.

Poſt hæc tempora, Barbaris nationibus Romani imperij prouincias incurſantibus, Bataui ægrè patriam ſuam tutati ſunt.

Tempore verò Pipini Francorum Ducis,

Danis & Friſiis fortiter aliquandiu reſiſtentes, tandem hoſtili vi coacti ſunt Francorum & Regem & religionem ſuſcipere, manente tamen non ſolùm ea libertate, qua à Cæſaribus donati erant, verùm etiam multis modis aucta.

Carolus autem magnus Nouiomagum arcem collabaſcentem reparauit, & ſacellum, quod ibi Diis Manibus à veteribus conſecratum erat, Chriſto Seruatori, per Leonem Romanum Epiſcopum conſecrari fecit.

Ædificauit & in hac arce tribunal (quod ibi mea ætas vidit) in quo crebrò inferioris Germaniæ populis ius dixiſſe legitur.

Regnante Ludouico Pio, Nortmanni claſſe Vahalim ingreſſi, totam Inſulam deuaſtarunt, & Nouiomagi regium palatium miri operis & magnitudinis exuſſerunt.

Carolo autem Caluo rerum potiente, Batauorum gens trifariam diuiſa eſt. Inferior enim inſulæ pars quæ mutato nomine, Holtlandia à Friſiis dici cœperat, partim Epiſcopi Vltraiectini, partim aduentitij cuiuſdam principis, iuſſa facere, iubentibus Francici ſanguinis Cæſaribus, volens nolens coacta eſt. Hinc crebra bella exorta ſunt, quæ ſi quis legere volet, habet Holtlandorum Vltraiectinorumq́ Hiſtorias. Superior autem

Inſulæ

Inſulæ pars, quæ Batauicum nomen retinet, & Nouiomagum caput gentis, multis annis ſub Cæſaribus libera manſit.

Fridericus verò, primus huius nominis Auguſtus, Batauorum libertatem auxit, arcem Nouiomagum inſtauratam muniuit.

Vicini autem principes horum libertati inuidentes, arte ipſis nota Guilhelmo ex Holtlandorum Comite, Romanorum Regi, impudentioribus precibus perſuaſerunt, vt Ottoni Gelriæ tum Comiti, Nouiomagum & quicquid illius iuriſdictionis erat, pro magna, quam ei debebat, aureorum ſumma, pignori daret. Quod Batauis Nouiomagisq́; fruſtra contrà nitentibus, Guilielmus fecit, & Rodulphus poſt eum Cæſar factus, ratum habuit.

Hac rerum omnium viciſsitudine factum eſt, vt Inſula quondam nobiliſsima ac potentiſsima, in multas ditiones diſcerpta, ſub quodam ſeruitutis iugo depreſſa iaceat.

Hæc ſparſim Batauicè ſcripta, vtcunque Latina feci, & in hunc ordinem redegi. Secutus autem ſum Hiſtorias Ducum Gelriæ, quas clariſsima Princeps Catharina filia Arnoldi Ducis Gelriæ patri meo Gerardo dono dederat, & Hiſtorias Ducum Cliuenſium, quæ fuere Adolphi Ducis Cliuen-

ſis, qui vulgo à Raueſteino dicebatur.

Reſtat vt de præcipua Batauorum Nobilitate, cuius progenies hodie quoque floret, pauca addam.

Vetuſtiſsima inter Batauos nobilitas eſt Heroum Herculanorū, qui genus ab Hercule Alemanno totius olim Germaniæ rege, ducere aſſeruntur. Ab his originem trahit Gelriorum Dux Carolus, Comites Egmondani, Florentius Comes Burenſis, principes etiam ab Hocklem, ab Aſpera, & multi alÿ minoris nominis.

Maiore generis nobilitate Egmondani gloriantur, ſed ÿ quum à Friſiorum regibus ſtemma deducant, inter veteres Batauos numerari non poſſunt, licet Herculanis affinitate iuncti, iam primas inter Batauos obtineant. Horum etiam caput & princeps eſt Carolus Gelriorum Dux, cuius paternum ſtemma ab Herculanis & Egmondanus progreſſum habet.

His accedunt Batoburgÿ nobiliſsimi planè Batauι, qui & Bohemorum Regibus & Columnenſium Romanorum affines & conſanguinei, non multum infra maximos principes nobilitate & fama deſcenderunt.

Lunata præterea Waſſenariorum inſignia, circa maritima in Batauis, principem

pem eos locum obtinuiſſe, indicant.

Superſunt Brerodani, ſed horum nobilitas non à veteribus Batauis, ſed ab Holtlandorum Comitibus orta eſt.

Hæ ſunt ferè inſigniores hac ætate Batauorum familiæ, verùm minorum opum & famæ, tot ſunt inter eos nobiles, vt difficile admodum fuerit, ſi quis vel nominatim adnotare velit, quorum quum in Hollandica Hiſtoria crebra fiat mentio, hic nihil addemus.

Collegimus autem ex veteribus, primíque nominis Hiſtoricis quædam Batauorum geſta quæ clariſſimorum Scriptorum verbis, indicibus præſcriptis, bona fide, his adiunximus. Neque te moueat lector, quòd nonnulla quæ Germanis generaliter adſcribuntur, ſolis Batauis tribuamus; auctoritatem enim & Batauicæ Hiſtoriæ, & magnorum virorum exempla hac in re ſequuti ſumus. Lege & diligenter diiudica, quiſquis es, qui hæc in manus ſumpſeris, & ſi à vero alicubi errauimus, candidè admoneas.

FINIS.

Studio P. Crisostomi
anno restauro
2012